Reform
8° 3992

Bullinger H

19603

[illegible] [illegible]. Eminens sanctus pater
(Chrysostomus) magis in hoc sudare ut comedere,
quomodo nos in corpus Christi et
in vinum [illegible] ea mensa transferunt, quam
ut panis mutatur in corpus Christi transe-
at. Considero igitur quibus manibus, quo ore
~~[illegible]~~ suscipere conveniat tanta
mysteria

Tertullianus contra Marcionem lib. 4.

Acceptum panem et distributum discipulis
corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum
dicendo, id est figura corporis mei. Figura
autem non fuisset nisi veritatis esset corpus.
Ceterum vacua res quod est phantasma
figuram capere non potest

I. F. Vandevelde
1786

ORTHODOXA TIGVRINAE ECCLESIAE

miniſtrorum Confeſſio, illorum & fidem et doctrinam, quam cum Catholica ſanctorū eccleſia communem habent, continens, in primis autem de COENA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI: unà cum æqua & modeſta reſponſione ad uanas et offendiculi plenas D. MART. LVTHERI calumnias, cōdemnationes & conuitia, quæ tum alibi, tum in nouiſſimo libello ſuo (quem Breuem de ſancto Sacramento Confeſſionem dixit) potiſſimum ædita & uulgata ſunt: è Germanico Latinitate donata, R. Gualthero interprete.

ROM. X.

Si confeſſus fueris ore tuo Dominum Ieſum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum excitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.

TIGVRI *apud Chriſt. Froſch.* 1545.

[redacted]

VNIVERSIS DIVINAE VERITATIS ET CHRISTIANAE innocentiæ ſtudioſis, quotquot Catholicam Chriſti fidelium eccleſiam incolunt, Tigurinæ eccleſiæ miniſtri gratiam & pacem à Deo patre per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM precamur.

NON equidem dubitamus, ô ſancti Chriſti fideles fratresq́; dilecti, plurimos inter uos eſſe pacis & concordiæ amantes, quorum animos acerbæ illæ eorum, qui doctrinæ titulo notari ſolent, contentiones & infeſta eorundem ſcripta iam olim offenderint & magna implerint moleſtia: quibus propterea & hoc quoq; inſtitutum noſtrum minus fortaſſis poterit probari. Eos uero per Dei nomen obſecramus, ut uel aliqua longanimitate nos ferre, & ineuitabile illud præſentis neceſſitatis noſtræ telũ iuſto animi iudicio perpendere, & uel in hac cauſa ſolum patientes ac beneuolas aures nobis præbere dignentur. Nam & nobis certe ſingularem quandam animi moleſtiam & dolorem acerbiſſimum pariunt contentiones iſtæ, quas in Chriſtiana eccleſia exerceri uidemus, in primis autem infœlix illa pugna & altercatio quæ circa Domini Cœnam exorta per multos annos hactenus agitata eſt: cum uidelicet Cœnam hanc ab ipſo Domino, iam iam à ſuis diſceſſuro, diſcipulis, ceu inſigne aliquod & longe excellentiſſimum myſterium, ueri uidelicet

corporis & ſanguinis ſui ac redemptionis noſtræ per mortem illius acquiſitæ Sacramentum ſumme uenerandum, & Chriſtianæ charitatis atq; concordiæ arctiſſimum uinculum, inſtitutam eſſe conſtet. Quapropter & nos per multos annos, licet ſæpenumero nos ad pugnam prouocari uideremus, patienti ſilentio uſi multas & uarias iniurias deuorare nequaquam dedignati ſumus, hac nimirum ſpe commoti, quod pugnas huiuſmodi & diſſidia tandem finiri, & omnes turbarum cauſas ſimultatũq; ſemina deleri & tolli poſſe arbitraremur. Cęterum, cum nos hac ſpe noſtra indies magis atque magis fruſtrari, & patienti hoc noſtro ſilentio non aliud impetrari poſſe uideamus, q̃ quod & nos & multæ uere fidelium eccleſiæ, et noſtrum quod in eccleſia adminiſtramus officium, unà cum multis ſanctis uiris partim in uiuis adhuc agentibus, partim uero uita hac pie & fœliciter defunctis, temeraria & audaci quorundam libidine indignis modis illudamur, iniquiſſime traducamur, dãnemur, proſcribamur, & ceu omnium qui uiuunt impijſſimi hæretici, Dei & Sacramentorum ſacrorumq; omnium contemptores & prophanatores omniũ exponamur uiolentiæ, diuturnius ſilentium & iniuriarum offendiculiq; plenæ illorum libidinis patientiam nec famæ noſtræ honos, nec officij dignitas, nec fides qua obſtricti ſumus, admittere uel ferre poteſt: niſi noſtra improbitate, ignauia & perfidia diuinam ueritatem, & noſtro miniſterio commiſſas eccleſias, noſtram deniq; functionem & fidem, &

dem, & pluriũ (qui de fideliũ eccleſia optime ſunt meriti) tam mortuorum quàm uiuentium adhuc, honorẽ ac famam indigne prodere uelimus. Omnes ergo Chriſti fideles, ueritatis, innocentiæ pacisq́ꝫ ſtudioſos oramus & obteſtamur, ut de hac noſtra reſponſione quod res ipſa loquitur iudicare uelint, ut quam durum & ineuitabile neceſſitatis telũ nobis extorſerit, non arrogans animi libido, nec nullis laceſſita iniurijs temeritas, nec inuida & pertinax contendendi cupiditas citra omnem cauſam dignã iuſtãq́ꝫ pepererit. Non multis enim ab hinc retro diebus elapſis libellus quidam à D. MART. LVTHERO in lucem æditus eſt, quem ipſe Breuem de ſancto Sacramento confeſſionem inſcripſit, in quo nominatim nec id ſine graui contumelia taxat, & ceu obſtinatos & omnis impietatis ſibi conſcios hæreticos, Dei & Sacramentorum prophanatores, omniũ deniq; qui uiuunt hominum ſceleratiſſimos nocentiſſimosq́ꝫ proſcribit & damnat, primo quidem eccleſiarũ noſtrarũ fideliſſimos doctores & eccleſiaſtas, P. M. D. IOANNEM OECOLAMPADIVM & M. HVLD. ZVINGLIVM, deinde uero cum his illorum quoq;, qui Tiguri ſunt (ſic enim ille ſcribit) uel ubicunq; terrarum, diſcipulos. Libellus hic tanta diabolorum atq; ſelectiſſimorum & à Chriſtiana fide cumprimis abhorrentium conuitiorum copia ſcatet, tanta uerborum immodeſtia, fœditate & impuritate turget, tanto deniq; iracundiæ, maledicentiæ, furoris & inſaniæ impetu furit, ut quotquot illum lege

re dignantur (modo non ipſi quoq; cum illo inſa-nire cœperint) non ſine graui animorum ſtupore infœlix hoc et inauditum hactenus exemplum ad-mirari cogantur: quod uidelicet tantum uirum, multa iam ſenectute grauem, multa rerum expe-rientia & exercitatione inſtructum, & in pretio ha ctenus à multis habitũ, tanta animi & affectuum impotentia effrenem ruere & rapi uident, ut tam indignis modis prorumpens, apud omnes uera ra tione præditos ſe totum uilem & contemptum red dat. Magna eſt ipſius apud multos nominis autho ritas: hac nimirum confiſus illius grauitate nos ter rere, debellare & opprimere conatur. Dum enim omnem noſtram amicitiam & cõmunionem abo-minatur ac reijcit, dum nec literas, nec libros, nec ſalutationes, nec benedictiones noſtras, nec aliqua noſtrorum ſcripta intra animi ſui (ut ipſe ait) pene-tralia admittere, nec uiſu uel auditu dignari uult, non obſcure equidẽ prodit qualem nimirũ unuſ-quiſq; mortalium ſeſe gerere debeat, ſiquidẽ iuxta Lutheri exemplum, quod bonum & pium eſt fa-cere uoluerit, ut nimirum à noſtro ceu perniciosiſſi morum hominum commercio abſtineat, libros no ſtros & quæcunq; ſcripta à nobis proficiſcuntur nuſquam admittat, noſtras reſponſiones ac inno-centiæ noſtræ teſtes apologias non audiat, ſed nos & proſcriptos iam & iure damnatos prorſus æſti-met. Qua uero cauſa et occaſione motus hoc faciat, ſiue contentioſorum quorundam ſtimulis irrite-tur, ſiue malignus ille omnis pacis & concordiæ

hoſtis

hoſtis, ſiue propria animi libido ipſum inſtiget & compellat,tam ipſi quàm illi iudicandum relinquimus,qui ipſos animos & mentes hominum cognitas ac perſpectas habet. Nouit is nulla nos priuata in Lutherum inuidia rapi, nullo etiã priuato odio exacerbari. Dolet præterea nobis grauiter, quod pugnæ & contentionis huius inſtauratione multos uera animi pietate præditos affligi premiꝗ́, & plures infirmiores adhuc & ſimplicioris ingenij homines offendi & in fidei negotijs ꝑ cõtentiones huiuſmodi & pugnas impediri uideamus. Quotquot maligno ſunt in ueritatem & ueram religionem animo pugnis iſtis cumprimis delectantur & ſuperbiunt,conuitia & calumnias huiuſmodi hinc inde ſpargunt & diſſipant, & hoc fuco tam ſeipſos quàm cauſam ſuam exornari & ueſtiri poſſe arbitrantur. Speramus tamen omne, quod tam in hac quàm alijs cauſis oboriri ſolet, offendiculi periculum hac Confeſſione noſtra & modeſta excuſatione magna ex parte minui & molliri poſſe. Ea certe eſt hiſce nouiſſimis temporibus Chriſtiani orbis plus ſatis afflicti calamitas, offendiculis, afflictionibus,inſidijs, periculis, ſeditionibus & bellis ita ſcatent omnia, ut ad extremum interitum uergere uideatur: fidei & religionis, charitatis & modeſtiæ in multorum animis quàm minima portio cernitur: maxima quoque hominum pars Dei uerbum,admonitiones, doctrinam & correptionem omnem, non modo contemnere, ſed & odio habere & iniquiſſime perſequi ſolet: qua de cauſa

graue & horrendum,quod Chriſtiano orbi immi-
net, Dei iudicium cernimus: quæ omnia ſatis ad-
monent, Chriſtianos homines, eos in primis qui
Chriſtiani doctores quoq; dici uolunt, magis de-
cere poſſe, ut mutuis operis & cõſilijs ſeſe inuicem
& conſolarentur & iuuarent,quò Dei ira declina-
ri, Chriſtiana charitas,modeſtia & concordia plan
tari, & communis ac publica omnium incolumi-
tas parari & conſeruari poſſet. Hæc, inquam, &
Deo & uere Chriſtianis hominibus magis utique
placere poſſent, quàm quod immoderata conui-
tiandi libidine nos inuicem proſcindere, damnare
& ſatanæ tradere ſatagimus. Quandoquidem ue-
ro concordiæ & amicitiæ ſtudium D. Luthero ne-
quaquam placere potuit, ſed hoſtiliter potius hic
agere maluit, quod ipſum luce clarius proh dolor
uidere licet, nos porrò in hac Confeſſione & re-
ſponſione noſtra conſtanti in clementem Deum fi
dutia freti, & precibus ad Chriſtũ Ieſum Dominũ
& redemptorẽ noſtrũ animati, omni modeſtiæ dili
genter ſtudebimus, ſic ut ueritatẽ ꝓ uirili & libere
fateamur & tueamur fideliter: ut præterea & ſan-
ctæ Chriſti, quarũ miniſtri ſumus, eccleſiæ excuſen
tur, ut functio noſtra, dignitas & innocentia aſſe-
ratur, ut ſancti & omni laude digni uiri, tam uiui
adhuc quàm è uiuis ſublati, ab iniurijs defenſi im-
maniſſima quoque conuitiorum libidine liberen-
tur, in primis uero, ut Dei honor propagari, & ec-
cleſia emendari poſſit. Oramus ergo, ut huic inſti-
tuto noſtro ſpiritus Dñi noſtri Ieſu Chriſti adeſſe
dignetur.

Porrò

Porrò nequaquam in hoc ſumus, ut ad ſingula *Diuiſio* Lutheri uerba & obiectiones quaſuis reſpondere *operis.* inſtituerimus (hoc enim moleſtiæ quidem plurimum, fructus uero & utilitatis quàm minimũ pariturum eſſet) ſed potiſſima duntaxat eius capita in medium producta tractabimus. Et primo quidem, cum Lutherus Marpurgenſis Colloquij, quod ante annos ab hinc retro quindecim tranſactum eſt, ſemel atq; iterum, idq; non niſi iniquiſſime meminerit, hoc unum uidelicet quærens, ut ſub huius prætextu Doctorum noſtrorum & eccleſiaſtarum piæ & fœlicis memoriæ honori & authoritati non nihil deroget: interim uero tanto ſtudio & diligentia & oret & hortetur, ne quis uel Marpurgenſis Colloquij conuentionibus uel aliorum dictis aut perſuaſionibus ſeſe adduci patiatur, ut Lutherum nobiſcum conueniſſe & idem nobiſcũ ſentire credat, &c. Primo quidẽ de Marpurgenſi Colloquio quædam dicemus, deinde uero quid in concordiæ negotio actum ſit docebimus. Vnde Chriſtianus Lector facile uidere poterit, præſens illud, quo Lutherus noſtros premi poſſe exiſtimat, negotium nequaquam tam atrox & horrendũ eſſe, quàm ipſe fingit. Conſtabit præterea nos paci nunquã non ſtuduiſſe, Lutherum uero nulla neceſſitate impulſum, nullis denique uel noſtris uel noſtrorum meritis irritatum turbas haſce & altercationes non ſine graui offendiculo excitare, in quarum arenam & palæſtram nos quoque, quos pacis ſtudium magis delectat, uel inuitos protrahit. Deinde, cum &

anteceſſores noſtros & nos diro conuitio obſtinatos & pœnitere neſcios hæreticos eſſe clamitet, qui uidelicet hæreſeum ipſi nobis conſcij ſimus, interim tamen falſam hanc & uenenatam doctrinam eccleſijs proponamus, ſanctas quoque eccleſias ſeducamus miſerè, imò ne unum quidem Chriſtianę fidei articulum uere credamus, in primis autem de ſacroſancto corporis & ſanguinis Chriſti ſacramento falſum, blaſphemum, impium, diuino uerbo & ueteri Chriſtianæ eccleſiæ doctrinæ contrarium dogma proferamus, inculcemus & tueamur, tam fidem quàm doctrinã noſtram, paucis & breuibus comprehenſam, ſed & eam quam de Domini noſtri Ieſu Chriſti Cœna tenemus ſententiam, libere, uere, breuiter & dilucide exponemus & fatebimur: certis nimirum (diuino ſic fauente numine) & perſpicuis rationibus demonſtraturi, noſtrã & doctrinam & fidem, Chriſtianam ac orthodoxam, non hæreticam nec falſam, quin potius è Dei uerbo petitam eſſe, & cum ueteri ſanctæ & catholicæ eccleſiæ doctrina nullo modo pugnare. E diuerſo autem Lutheri de Sacramento ſententiam & doctrinam diuino uerbo & ueteri eccleſiarum doctrinæ contrariam eſſe, ſed & ſibi ipſi contradicere & pugnare docebimus. Atqui hoc nõ ideo facturi ſumus, quod Lutheri errores tanto ſtudio & feruore in lucem protrahere cupiamus, uel quod priuato quodam affectu illi contradicere libeat: ſed quod noſtri officij eſſe ſcimus ueritatem & fateri & cauſam illius promouere ſtudioſius: & ut omnes

intelligant,

intelligant, cur nec noſtram doctrinam deſerere, nec Lutheri ſententiam, quæ tam incerta & uana eſt & omni argumentorum præſidio deſtituta, recipere & amplecti poſſimus. Poſtremo, cum Pauli, quæ ad Titum eſt de hæretico uitando, ſententiam Lutherus adducat, & admonitiones aliquot, quæ obſtinatis nobis & pœnitere neſciis (ut ipſe iudicat) fruſtra obuenerint, iactitet, hiſce nimirum argumentis nos & hæreſeos conuinci & condemnari poſſe exiſtimans, imò ceu hæreſeos conuictos iam condemnet & proſcribat: ipſa rei ueritate docebimus, eum non aliquam huius condemnationis & proſcriptionis ſuæ cauſam iuſtam inueniſſe adhuc: & quod noſtros nunquam hactenus uel argumentis conuincere uel mendacii arguere potuerit: ſed quod tam ipſos quàm nos temeraria conuiciandi libidine falſo & impie proſcindere & eorum criminum inſimulare ſolitus ſit, quæ nullis unquam ueris & certis rationibus ſit euicturus.

ET hanc quidem breuem cauſæ, quæ nobis cum Luthero agitur, ſummam ſecuti, hoc opus noſtrum in tres partes uel tractatus diuidere, et in priori quidem de Marpurgenſi Colloquio, & alijs quibuſdam, quorum paulo ante mentio facta eſt, dicere inſtituimus.

De Marpurgenſi Colloquio: & num in hoc Oecolamp. ac Zuinglius in omnibus articulis ad Lutheranorum partes conceſſerint.

A quo & quare Marpurgenſe Colloquiũ inſtitutũ ſit

PRIMO quidẽ Lutherus noſtros uiam & modum quæſiuiſſe dicit, quo pacto cauſam ſuam prauam ſarcire & cum Lutheranis cõuenire poſſent, et tunc Marpurgẽſe illud Colloquium inſtitutum fuiſſe. Et hæc quidem Lutheri uerba eum ſenſum præ ſe ferre uidentur, quaſi noſtri illi ut Colloquium hoc inſtitueretur laborarint, ut uidelicet doctrinã ſuam, quam antehac ſuis tradiderant, commode deſerere, cum Luthero conuenire, & illius ſententię ac doctrinę adhęrere poſſent. Quod ſi hoc uult dicere Lutherus, in eodem hoc certe libello ſuo ſeipſum mendacij arguit, dum uidelicet diſputationem uel Colloquium hoc in articulo de Sacramento nihil effe

ciſſe

ciſſe & Concordiam minus promouiſſe fatetur. Cum enim Colloquium inſtitutum & tranſactum ſit, nihil hic remoræ oboriri potuiſſet, ſiquidem cauſæ ſuæ labaſcenti iam (ut Lutherus inquit) conſulere & centones, quod aiunt, ſarcire uoluiſſent. Atq in hac ipſa cauſa nihil, uel ipſo Luthero teſte, uel actum uel cōceſſum eſt. Colloquij ergo huius prætextu noſtri nec aliquod cauſæ ſuæ periclitanti ſubſidium quærere, nec quicquam ſarcire inſtituerunt.

Præterea Colloquium hoc noſtri nunquam expetiuerunt, nec aliquo modo ut illud inſtitueretur, elaborarunt, ſed Illuſtriſsimus Princeps Philippus Heſſorum Landgrauius, uere pia & Chriſtiana mēte primus literis aliquot ad noſtros tranſmiſsis huius occaſionem quæſiuit & obtulit, petens nimirum ut amicum & ab omni diſputandi contentione alienum Colloquium cum Luthero & ſuæ partis hominibus inire dignarentur, ſi forte clemens & miſericors Deus gratiam ſuam conferre dignatus efficiat, ut utriuſq; partis ſectatores circa hunc quoq; Sacramenti articulū in ſacroſanctę ſcripturę fundamento & doctrina (non uano & ficulneo fundamento) conuenirent, quo tandem ab infirmioribus multis offendicula tolli, Chriſtiana charitas plantari, & concordia circa orthodoxam doctrinam inſtitui augeriq; poſſent. Et hæc quidem literis è Spira miſſis & feria quinta poſt Dominicā Iubilate, anno Chriſti ſaluatoris 1529. ſcriptis Illuſtriſsimus Princeps monuit. Hæ & plures aliæ ad

Colloquij huius inſtitutum & negotium pertinentes,integræ adhuc & illæſæ apud nos hactenus reſeruatę,etiam nunc ſedulo ſeruãtur,quas,ſiquidem neceſſitas omnino poſtularet,palàm proferre poſſemus. Noſtri ergo per Colloquium hoc cauſæ ſuæ (de cuius certitudine & fide nunquam dubitarũt) nulla ſutela conſulere, ſed ueram concordiam,Dei cultum & Eccleſiæ incolumitatem promouere ſtuduerunt, Et hunc inſtituti ſui ſcopum finemq́ Illuſtriſsimus quoq; & uere Chriſtianus Princeps unice ſpectauit. Vnde Lutherus quoq; prauam hãc de noſtris ſuſpicionem commodius & maiori cum gloria cælare potuiſſet,quàm quod tam uane & incaute de hiſce rebus diſſerit.

Num Oecolampa. & Zuinglius ab errore ſuo deſciuerint.

Secundo loco, noſtros in Colloquio hoc Marpurgenſi cauſam et ſententiam ſuam aliqua ex parte correxiſſe ſcribit, & ab errore ſuo priſtino deſciuiſſe, ut confiterentur ſcilicet, non nudum panem modo & uinum in Cœna eſſe,ſed corpus quoq; & ſanguinem Domini, ſpiritualiter tamen,nõ corporaliter &c. Atq; luce clarius conſtat, & quotquot Zuinglij ac Oecolampadij libros ante Marpurgenſe illud Colloquium æditos legerũt,non ignorant eos non Marpurgi demum ſic ſentire & docere cœpiſſe, ſed ſemper & iam olim ab initio ad hunc modum docuiſſe. Quod ſi uero aliqui hic dubitare adhuc ſolent,ſecundam Oecolampadij ad Lutherum reſponſionem legant, in cuius decimooctauo capite euidentiſsime demonſtratur, ipſos nunquam docuiſſe,quod nudus duntaxat in Cœna panis ſit.

Præterea

Præterea & alterū ex Zuinglij libris teſtimonium in tertio operis huius tractatu proferemus, Oecolampadij doctrinæ per omnia conſonum. Licebit etiam, ſi quis uolet, Zuinglij reſponſionem ad Lutheri Confeſsionem ſcriptam legere. In Bernenſi diſputatione, cui ambo interfuerunt, inter alia in hunc modum pronuntiant: Nos Chriſti corpus in Cœna edi, & ſanguinem eius bibi, nequaquam negamus: illud uero ſpiritualiter per fidem fit &c. Extant uerba hæc in diſputationis huius Actis excuſa, folio 120. Quapropter, cum multa præter hæc eiuſdem ſententiæ teſtimonia extent, deploranda certe calamitas eſt, tantum uirum tam incaute & uane multa dicere.

Num Oecolamp. & Zuinglius in omnibus articulis in Lutheri partes conceſſerint.

Eiuſdem generis eſt, quod Lutherus non minus uane nec ſine inſigni quadam arrogantia inquit: Nos ne in uno quidem articulo in illorum partes conceſsimus: ſed ipſi in omnibus atticulis in noſtram ſententiam concedebāt &c. Nam quotquot ab Oecolampadio & Zuinglio ante Colloquium hoc libri ſcripti ſunt, etiam hoc loco euincere poſſunt, ipſos per omnia prius quoque eam doctrinam ſuis tradidiſſe, quæ articulis illis Marpurgenſis Colloquij & concordiæ continetur. Poſſumus hic multa ex iſtis teſtimonia producere, ſicubi neceſſe fuerit. Ad hęc titulus quoq; articulorum, qui finito illo Colloquio in lucem æditi ſunt, nihil huius rei pollicetur, quaſi noſtri illi aliqua in re in Lutheri ptes cōceſſerint & ad illius defecerint ſententiā, ſed talis ferè legitur: IN hac Chriſtianæ doctrinæ

ſuma uel cōpendio utroſq; ſibi inuicē cōuenire ac cōſentire deprehenſum eſt. Itē, IN hiſce infra poſits articulis Marpurgi conuenerunt III. Octobris, quorum nomina ſubſcripta extant. Sed & Oecolampadius quoq; quædam huc maxime pertinentia ad Berchtoldum Hallerum Bernenſem Eccleſiaſtem ſcripſit, quę in primo epiſtolarum libro, folio 24. uidere licet. Quapropter Lutherus hac quoque in re infœlix illud ſuum ingenium & uanam arrogantemq; iactantiam prodidit potius, quàm quod aliquid uel utile uel ſe dignum effecerit.

Num noſtri calua apud Lutherū excuſatione uſi ſint.

Tertio, Lutherus ſic ait: Quidam illorum hac ratione ſeſe excuſari poſſe putabāt, quod nos & Pontificiorum aſſeclas huiuſmodi ſententiam tenere et ſequi credidiſſent, quaſi Chriſti corpus localiter in pane, perinde ut in ſacco ſtramen, concluderetur. Sed ô uanam, mancam & caluam excuſationem. Nam neq; nos nec Pontificios unquam ſic docuiſſe probe nouerant &c. Atqui hoc loco noſtrorum integritatem & innocentiam, utpote quibus uiolenta omnino (ſiquidem illorum ſententiam Lutherus uere percipit) infertur iniuria, paucis quidē ſed uere aſſerere neceſſe eſt. Semper enim ſimpliciter, uere, integre et fideliter egerunt omnia, ab omni fraude doloq; alieniſsimi. De Zuinglio quidem hic multis agere opus non eſt. Huius enim ad Lutheri Confeſsionem reſponſio ipſum calua hac excuſatione nequaquam uſum eſſe, abūde ſatis teſtari poteſt. Ioannes Oecolampadius uero in reſponſione ad Lutheri Confeſſionē ſic ſcribit: Non equidem

dem ignoramus, quid in ſcholis ſit traditū, corpus Chriſti nimirū in Sacramento nequaquā localiter contineri. Cæterum idem hoc quoq; longe lateq; patebit, & plus quiddā ſecum afferet. Si enim Chriſtus corpus habet uerum, ubicunq; illud corporaliter inſtar corporis fuerit, ibi locum quoq; ſuum habeat neceſſe eſt. Et cum locus aliquis unicus, nō plures, ſed unus duntaxat locus ſit, corpus quoq; non niſi uno in loco eſſe poterit: ſiquidē corpus uerum illud eſſe fateri uelimus. Quod ſi autē hoc modo in cœlis eſt, in terris certe eſſe non poteſt. Lutherus ergo hic quoq; ſibi ſimilis eſſe, ut antehac, depræhenſus eſt, quod ea nimirū ſubinde noſtris impingere conatur, quæ nullo ueritatis teſtimonio euinci & ꝓbari poſſunt. Quod ſi uero hæc de alijs quibuſdā ille pronūciauit, nihil id ad nos pertinere putamus, ſed ipſis illud diluendū relinquimus.

Nū Zuinglius abſurdam de locali incluſione diſputationem cū Luthero inſtituerit.

Præterea illud quoq; Lutherus ait, Zuinglium prolixam & abſurdam de locali incluſione diſputationem ſecum habuiſſe, qua Chriſti corpus pane nequaquam cōtineri poſſe demonſtrare uoluerit. Ad hæc uero nos ad hunc modum reſpondemus. Lutherus in Marpurgenſi Colloquio huiuſmodi propoſitionem admiſerat, Corpus Chriſti in Cœna eſt, ſed non ut in loco. His uero Zuinglius ſic reſpondit: Cum Chriſti corpus finitum eſſe agnoſcas & fatearis Luthere (illud enim paulò ante Lutherus admiſerat) & omne quod finitum eſt, in loco ſit: & Chriſti corpus non ut in loco præſens eſt, certe omnino non præſens eſt. Hæc inter multa

alia, quę de Marpurgenſi Colloquio per Zuingliū annotata & ab eodē relicta in noſtras manus peruenerunt, inuenimus: quibus per omnem modum ea quoq; conſentiunt, quæ quidam eccleſiæ noſtræ miniſter, uir eruditione & uitæ integritate clarus (qui & ipſe cum Zuinglio Marpurgum profectus colloquio iſti interfuit) eodem & loco & tempore conſignauit. Et hic quidem omnium, qui uera ratione & fide præditi ſunt, iudicio permittimus, q̃ bona fide & quo nam ueritatis ſtudio Lutherus hanc de Marpurgenſi Colloquio mentionem contra eos qui iam uita defuncti ſunt, introduxerit: qui certe ſi adhuc in uiuis agerent, Lutheri fraudes & improbitatem euidentius multo in lucem protrahere poſſent.

De Zuinglij ad Regem Chriſtianum libello: & quod Marpurg. Colloquij pactis ſteterit, nec ceu Sacramēti hoſtis obierit.

Libellus ad Chriſtianum Regē, Chriſtianus libellus eſt.

LVtherus eam ob cauſam plurimū indignatur, quod quidam è noſtris Zuinglij libellum ad Regem Chriſtianum conſcriptū, poſt illius obitum demum, ceu peculiarem quendā Zuinglianæ doctrinæ theſaurum, in lucem emiſerunt. Nos uero firma & certa in Deum fiducia freti, omnes Chriſti fideles, qui libellum iſtum Chriſtiana & ab omni affectuum tentatione libera mente perlegerunt, idem de illo nobiſcum teſtaturos eſſe ſperamus: quod uidelicet ſingulare quoddam ſit Chriſtianæ doctrinæ peculium, euidens item ac luce clarius ſpecimen, quo

Zuingliū ab ijs fidei articulis, qui in Marpurgenſi colloquio pie et Chriſtiane conditi ſunt, nequaquā defeciſſe, ſed in fidei negotio uera & integra fide ſemper uſum nihil prorſus dolo malo unq̃ egiſſe demonſtratur. In libello enim hoc ſacroſanctæ & catholicæ fidei noſtræ articulos, de unica & indiuidua diuinitatis eſſentia, de ſacroſancta trinitate, de Domino Chriſto, uero Deo & homine in una & indiuidua perſona, ingenue & fatetur & exponit. In eodem hoc, omnes homines per peccati morbū corruptos, citra ſolius Chriſti interceſſionem, ad uitam & iuſtitiam nequaquā peruenire poſſe docet. Præterea, quæcunq; de Chriſti conceptione & incarnatione, de eiuſdem paſſione & morte, de ipſius deniq; reſurrectione & aſcēſione, & omnibus alijs ad huius cognitionem pertinentibus, fides noſtra catholica credere iubet, ea omnia in libello hoc paucis ſimul & orthodoxe ac Chriſtiane comprehenſa ſunt. De Euangelio item, de fide, de bonis operibus, de fidelium meritis, de ſancta eccleſia, de magiſtratu, & alijs huiuſmodi æque neceſſarijs articulis, in eodem iſto tam pie diſſerit, ut nihil uel ſcripturæ authoritati, uel Marpurgenſis conuentus articulis contradicat. De Sacramento quoq; paulò poſt commode & digne quid Zuinglius ibidem ſenſerit, exponemus.

Præterea, quod Lutherus abſurdas illas, ineptas & inciuiles fœdasq; dicendi formulas Zuinglium libelli huius authorem non obſcure prodere ſcribit, omnibus nobis, imò unicuiuis libelli iſtius Le *Turpes & immodeſtæ dicendi formulæ.*

ſtori, non poteſt non multū dolere. Norunt enim quotquot libellum iſtum uiderunt, Zuingliū tàm in hoc quàm aliȷs libris ſuis modeſtiæ ſemper ſtudiſſe, & de fidei negotio honeſte, decēter, circumſpecte & citra omnem offendiculi occaſionē diſſeruiſſe. Sed errat forſitan Lutherus, & ſub Zuingliȷ nomine haud dubie de ſeipſo iſta loquitur. Neminem enim unquā mortaliū Luthero uel fœdius uel inciuilius uel inhoneſtius, idq́ꝫ præter omnes Chriſtianæ modeſtiæ & ſobrietatis terminos, in negotiȷs illibatæ religionis noſtræ & aliȷs magnis & arduis diſputationibus ſcripſiſſe, luce clarius conſtat, nec à quoquam etiam negari poteſt. In omnium enim manibus uerſantur Lutheri Heinzius Anglicus contra Angliæ regē æditus: & alius neſcimus quis Heinzius cum Meinzio quodam in ſpurcò ſuo libro, quem Hans Worſt appellari uoluit. Accedit his eiuſdem contra Iudæos liber, ubi fœda & ſpurciſſima quædam de Iudæorum Bibliȷs & literis, quas non legere ſed uorare illi debeant, deblaterat. Extat præterea eiuſdē Schem hamphoras liber prodigioſus, porcorum frequenti mētione & oleti ac ſterquiliniȷ crebra et fœda cōmemoratione ſpurcus atqꝫ fœtens, quem ſi fortè ſubulcus aliquis (non inſignis huiuſmodi animarum paſtor) ſcripſiſſet, aliquam fortaſſis, quamuis non adeo ſplendidam, excuſationem mereretur. Atqui non negamus quorundā peccata & ſcelera correptiones grauiſſimas mereri: interim tamē qui ſub Chriſti perſona & nomine corripit, illud ſemper meminerit

oportet,

oportet, quid ſuam quoq; perſonam deceat, quid deniq; plus offendiculi, quàm emēdationis pariat. Suum ipſius ergo ſinum inſpiciat Lutherus: penes ſe enim, nō in Zuinglij libello, abſurda, fœda & inhoneſta uerba reperiet: & in hoc ſit, quo pacto fœdum illum & inciuilem orationis ſuæ genium tandem mutare & deſerere poſſit. Huiuſmodi enim dicendi ſcribendiq; formulis parum ædificare, plurimum uero offendere & incommodare poterit.

Immaniſſimum uero & atrociſſimum crimen, cuius libellum iſtum Lutherus incuſat, illud eſt, quod Zuinglius non modo Sacramenti hoſtis eſſe perrexerit, ſed in uniuerſum gentilis uel Ethnicus factus ſit. Et hæc quidem proprio teſtimonio per libellum hunc de ſeipſo prodidiſſe, clamitat. Nos autem ex eodem libello iſto euidentiſſimis locis & certis rationibus demonſtrabimus, quod Zuinglius de Cœna Domini & Sacramentis omnibus, pie, orthodoxe & bene ſenſerit ſimul & docuerit. Ipſius autem uerba huc aſcribemus: ea ſunt huiuſmodi: Chriſtum credimus uere eſſe in cœna, imò non credimus eſſe domini cœnam niſi Chriſtus adſit. Confirmatur. Vbi duo uel tres fuerint in nomine meo congregati, iſthic ſum in medio illorū: quanto magis adeſt ubi tota eccleſia ei eſt congregata? Sed quod corpus eius ea dimenſione edatur qua iſti dicunt, id uero eſt à ueritate & fidei ingenio alieniſſimum. A ueritate, quia ipſe dixit, Ego poſthac non ero in mundo, & caro non prodeſt quicquam, ad edendum ſcilicet, iſto modo quo Iu-

Quomodo Chriſtus ſit in cœna.

dæi tunc & nunc Papiſtæ putant edendum eſſe. A fidei autem ingenio abhorret, quia fides (loquor autem de auguſta & uera fide) complectitur in ſe Charitatem & Religionem ſiue reuerentiam & uerecundiam. Quæ religio abhorret ab iſta carnali et craſſa manducatione, non minus quàm quiſq; abhorret edere amantiſſimum filium. Confirmatur. Centurio, cuius fidem Chriſtus ſupra Iſraelitarum fidem prædicat, per fidei uerecundiam ad illum dicit, Domine non ſum dignus ut uenias in ædes meas. Petrus autem, cum illum in captu piſcium à ſe iubet exire, per timorem qui eum inceſſerat, ex eadem uerecundia, abhorret ab eius corporali uiſibiliq; præſentia. Conſtat igitur & mentem & fidem, hoc eſt ueritatem, quæ unica mentis lux eſt, & religionem qua Deum amplectimur, ueneramur, ac deoſculamur, abhorrere à tam craſſa manducatione, qua Capernaitæ & Papiſtæ ſeſe perhibent edere corpus Chriſti. Nam iuxta Auguſtini ſententiam, Capernaitæ cum dicerent, Quomodo poteſt hic nobis carnem dare ad manducandum? &, Nónne hic eſt filius Ioſeph? putabant ſibi offerri corpus ad edendum quomodo carnes à macello eduntur, quomodo ſcilicet ſenſibile ante eos ſtabat, in ſua ſpecie ac proceritate. Papiſtæ uero quid aliud adfirmant cum dicunt ea magnitudine qua in cruce ac ſepulchro pependit & iacuit manducari? Quia ueritas & mens ab huiuſmodi manducatione abhorrent, Religio uero & fides ſanctius obſeruant & amplectuntur Chriſtum

ſtum quàm ut hac ratione cupiant mandere.

Adſerimus igitur non ſic carnaliter & craſſe manducari corpus Chriſti in cœna ut iſti perhibẽt, ſed uerum Chriſti corpus credimus in cœna ſacramentaliter & ſpiritualiter edi, à religioſa, fideli, & ſancta mente, quomodo & diuus Chryſoſtomus ſentit. Et hæc eſt breuis ſumma noſtræ, imò non noſtræ ſed ipſius ueritatis, ſententiæ de hac controuerſia.

Et hæc quidẽ omnia Zuinglij ſunt, quibus ſuã de Cœna Domini ſententiam expoſuit: hæc nos libero fideliũ iudicio excutiẽnda relinquimus, bona nimirum ſpe, ipſos de Zuinglio hac in re honeſtius multo, quàm Lutherus fecerit pronũciaturos eſſe. Præterea eiuſdẽ, quam de Sacramentis quoq; profeſſus eſt, doctrinam ex eodem iſto libello apponemus. Sic enim ſcribit: Quid autem? an ne ſacramenta nullam habent uirtutem? *De ſacramentorum uirtute & efficacia.*

Virtus prima. Res ſanctæ & uenerandæ ſunt, utpote à ſummo ſacerdote Chriſto inſtitutæ & ſuſceptæ. Ipſe enim Baptiſmum non tantum inſtituit, ſed & ipſe quoque recepit. Ipſe non tantum Euchariſtiã celebrare iuſſit, ſed primus celebrauit.

Virtus ſecunda. Teſtimonium rei geſtæ præbent. Vniuerſæ enim leges, mores ac inſtituta, authores ſuos initiaq; prædicant. Baptiſmus ergo cũ Chriſti mortem ac reſurrectionẽ ſignificando prædicat, eas uere geſtas eſſe oportet.

Tertia uirtus. Vice rerum ſunt quas ſignificant,

unde & nomina earum ſortiuntur. Tranſitus aut præterito qua Deus filijs Iſraël pepercit, ante oculos poni non poteſt, ſed Agnus eius rei ſymbolum uice illius proponitur. Sic & corpus Chriſti omniaq; in illo geſta cum oculis ſubijci nequeant, panis & uinum eius loco edenda proponuntur.

Quarta. Res arduas ſignificant. Aſcendit autem cuiuſque ſigni pretium cum æſtimatione rei cuius eſt ſignum. Vt ſi res ſit magna, pretioſa, & amplifica, iam ſignum eius rei eo maius reputetur. Annulus reginæ uxoris tuæ, quo eam deſpondit tua maieſtas, illi non auri pretio æſtimatur, ſed pretium omne ſuperat, quantumuis ſi ſubſtantiam repures aurum ſit. Quia ſymbolum eſt mariti regis, unde & omnium annulorum ei rex etiam eſt, ut ſi quando mundum ſuum nominatim uocet ac cenſeat, indubie dicat, Hic eſt rex meus. Hoc eſt, hic eſt annulus mariti mei regis quo me ſibi deſpondit. Hoc eſt ſymbolum indiſiunctæ ſocietatis ac fidei. Sic panis & uinum amicitiæ illius quo deus humano generi per filium ſuum reconciliatus eſt, ſymbola ſunt, quæ non æſtimamus pro materiæ pretio, ſed iuxta ſignificatæ rei magnitudinem, ut iam non ſit uulgaris panis, ſed ſacer: non panis tantum nomen habeat, ſed corporis Chriſti quoque, imò ſit corpus Chriſti, ſed appellatione & ſignificatione, quod recentiores uocant ſacramentaliter.

Nō nudus panis ac uinum.

Quinta uirtus eſt. Analogia ſymbolorum & rei ſignificatæ. Habet autem Euchariſtia duplicem analogiam.

analogiam. Vnam quæ ad Chriſtum pertinet. Vt enim panis humanam uitam ſuſtinet ac fulcit, ut uinum hominem exhilarat: ſic deſtitutam omni ſpe mentem ſolus Chriſtus reſtituit, ſuſtinet & lætificat. Quis enim ultra deſperatione contabeſcat qui dei filium uidet ſuum eſſe factum? cum animo illum tenet ueluti theſaurum qui eripi non poteſt, quo uero impetrare omnia apud patrem poteſt. Alteram habet analogiam quæ ad nos pertinet. Vt enim panis ex granis multis fit, uinũ uero ex multis acinis confluit; ſic eccleſiæ corpus ex infinitis membris in unum corpus, una in Chriſtum fiducia, quæ ex uno ſpiritu prouenit, coagmentatur & erigitur, ut ſit uerum templum & corpus inhabitantis ſpiritus ſancti.

Sexta. Auxilium opemq́ adferunt fidei. Et hoc præ omnibus facit Euchariſtia. Scis, ô Rex, fidem noſtram ſemper exerceri ac tentari. Cribrat enim cum apoſtolis nos ſatanas ſicut triticum. At qua nos arte petit? Domeſtica proditione, per corpus enim uelut per ueterem ac ruinoſam muri partem, admotis ad ſenſus noſtros cupiditatum ſcalis, obruere ſatagit. Cum ergo ſenſus aliò uocantur quàm ut aurem illi præbeant, iam minus procedit eius conſilium. Nunc autem in ſacramentis non modo negantur ſenſus ſatanæ ſuadelis, ſed etiam fidei mancipantur, ut iam uelut ancillæ nihil aliud agant quàm quod agit iubetq́ hera fides, adiuuant ergo fidem. Sed palàm loquar. In Euchariſtia quatuor potentiſſimi, imò uniuerſi ſenſus à

Sacramenta fidẽ adiuuant.

carnis cupiditatibus uelut uindicantur ac redimuntur & in obſequium fidei trahuntur. Auditus cum iam non ſymphonias cordarum diuerſarumq́ue uocum harmoniam, ſed cœleſtem uocem audit, Sic Deus dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum pro uita illius dederit. Adſumus ergo fratres ut pro ea in nos liberalitate gratias agamus. Ipſius enim filij iuſſu merito iſtud facimus. Qui iamiam moriturus hanc gratiarum actionem inſtituit, ut perpetuum amoris erga nos ſui mnemoſynum ac pignus relinqueret. Accepit autem panem, gratias egit, fregit, deditq́ue diſcipulis hæc ſacra ſimul effatus de ſacratiſſimo ore uerba, Hoc eſt corpus meum. Aeque & calicem accepit, &c. Cum iſta inquam auditus accipit, an non totus conſternatur & admirabundus in hoc unum quod prædicatur intentus eſt? Cum Deum audit, cum amorem illius, cum filium pro nobis neci traditum? At cum huc intentus eſt, an non idem facit quod fides? Fides enim eſt quæ Deo per Chriſtum nititur. Auditus ergo cum ad idem ſpectat, iam fidei ancillatur, iam fidem non moleſtat ſuis friuolis iſtis cogitationibus ac ſtudijs. Viſus cum panem uidet ac calicem, quæ uice Chriſti ut illius bonitatem ingeniumq́ue ſignificent, an non & ille fidei obſequitur? Chriſtum enim uelut ante oculos conſpicit, quem mens eius inflammata pulchritudine deperit. Tactus panem in manus ſumit, qui iam non panis ſed Chriſtus eſt ſignificatione. Guſtus Olfactusq́ue & ipſi huc aduocantur, ut odorent quàm

ſuauis

ſuauis ſit dominus, quámq́ beatus ſit qui in illo fidit. Vt enim illi cibo gaudent & expergeſiunt, ſic mens hunc cœleſtis ſpei ſuauem nacta guſtum geſtit & exultat. Adiuuant ergo fidei contemplationem ſacramenta, concordant cum mentis ſtudijs, quod aliâs citra ſacramentorum uſum non tantopere tantoq́ fit conſenſu. In Baptiſmo, uiſus, auditus, tactusq́ aduocantur ad fidei opus. Fides enim, ſiue eccleſiæ, ſiue eius qui baptizatur, agnoſcit Chriſtum pro eccleſia ſua mortem tuliſſe, reſurrexiſſe, ac triumphaſſe: idem auditur in baptiſmo, uidetur, ac tangitur. Sunt ergo ſacramenta uelut frena quibus ſenſus, ad cupita ſua excurſuri, reuocantur ac retrahuntur ut menti fideiq́ obſecundent.

Septima ſacramentorum uis eſt, Quod uice iuriſiurandi ſunt. Nam & Sacramentum Latinis pro iureiurando uſurpatur. Qui enim unis eiſdemq́ ſacramentis utuntur, una eademq́ gens ac ſancta quædam coniuratio fiunt, in unum corpus, inq́ populum unum coeunt. Quem qui prodit periurus eſt. Populus ergo Chriſti cum eius corpus ſacramentaliter edendo, in unum corpus coniungitur, iam qui perfidus eſt, attamen ſeſe huic ſocietati audet inſinuare, corpus Chriſti ꝓdit, tam in capite quàm in membris. Quia non diiudicat, hoc eſt, nõ tanti æſtimat corpus domini, cum quod pro nobis ille tradidit, tum quod illius morte liberatum eſt. Vnum enim corpus cum cum ipſo ſumus.

Cogimur ergo uelimus nolimus agnoſcere ꝙ

hæc uerba, Hoc eſt corpus meum &c. non naturaliter ac pro uerborum proprio ſenſu eſſe intelligenda, ſed ſymbolice, ſacramentaliter, denominatiue, aut μετωνυμικῶς, hoc modo, Hoc eſt corpus meum, id eſt, hoc eſt ſacramentum corporis mei, ſiue hoc eſt corpus meum ſacramentale ſiue myſticum, id eſt eius quod uere adſumpſi mortiq́; obieci, ſymbolum, ſacramentale & uicarium.

Et hæc quidem omnia ex Zuinglij libello adducere idcirco libuit, ut uel hinc, Zuinglium ſacramẽti hoſtem & prophanatorem nequaquam fuiſſe, ſed uerum eiuſdem cultorem & orthodoxum de eodem illo doctorem, in uera hac & ſententia & doctrina pie quoq; & fœliciter obdormiuiſſe, omnibus cõſtet. Videat ergo Lutherus, quo ore & quibus rationibus ſuam illam, qua in mortuos & innocentes nihilq́; tale meritos graſſatur, maledicentiam, coram Deo & eccleſia uel defendere uel excuſare poſsit.

Quod Zuinglius nequaquam gentilis factus ſit. Et num omnes gentiles, qui extra Iſraelis rempub. abſq; ſacramentis è uiuis exceſſerunt, idcirco damnati ſunt.

Zuinglius gentilis factus nõ eſt.

TRANSIMVS nunc ad alteram illam calumniam & immane cõuitium, quo Zuinglium Lutherus traducit, eum in uniuerſum gentilem & Ethnicum factum eſſe dicens, eò quod impios Ethnicos (utpote Socratem, Ariſtidem, horrẽdum illum Numam, qui primus per dæmonis reuelationem, ut D. Auguſtinus de Ciuitate Dei teſtatur, idololatriã apud

Romanos

Romanos inſtituit, & Scipionem Epicureum) inter beatos numerauerit. Quorſum enim (inquit Lutherus) baptiſmo, Sacramentis, Chriſto & ſacra ſcriptura nobis opus eſt, ſi Ethnici huiuſmodi & beati & ſancti ſunt? Et quid nam aliud huiuſmodi Eccleſiaſtes credere poteſt, quàm quod quilibet in ſua fide & religione, imò idololatra quoq; et Epicurçus ſalutem & beatitudinem conſequi poſsit? Et hæc quidem Lutheri eſt intentio.

Atqui poterat hoc potiſsimum loco cautius, imò deſtius, humanius deniq; et minori cum offendiculo iſta agere, niſi totus affectuũ impetu raperetur. Nequaquam enim eius ſententiæ Zuinglius unquam fuit, quod iuxta Mahumetanã opinionem unuſquiſq; in ſua religione, qualiſcunq; tandem illa ſit, ſalutem poſsit conſequi. Nunquam præterea docuit, quod idololatræ, Epicuræi uel quacunq; alia impietate corrupti, quoad in impietate ſua perſeuerarint, ſalui fiant: uel quod aliquis citra Dei gratiam & miſericordiam, proprijs uiribus uel qualiſcunq; religionis merito, extra Chriſtum ſaluetur. Quapropter ſi Numa Pompilius aliqua uel ſocietate uel pacto Satanæ addictus fuit, uel in ueneficijs et diabolicarum artium exercitio in finem uſq; perſeuerauit, non obſcurum eſſet uidere, ipſum cauſa apud Deum iudicem cadere. Atqui huiuſmodi Numam Zuinglius ſanctis & beatis nuſquã adnumerat. Cçterum ex hiſtorijs colligi poteſt, Numam idololatriæ non ita addictum uel immerſum fuiſſe, ſicut de ipſo Varro (quem & Auguſtinus & La-

Numa.

7. de Ciuit. dei 34. & 35. cap. Et inſtit. 1. ca. 22.

ſtantius ſecuti ſunt) prodidit. Plutarchus enim in uita Numæ, de eodem illa quoq; tradit: Primum principium ille, neq; ſenſui neq; perturbationi ſub iectũ, ſed mentẽ inuiſibilẽ & increatã eſſe cenſuit. Hic aũt Romanos prohibuit exiſtimare imaginem Dei, aut hominis ſpeciem, aut animalis habere for mam. Nec fuit apud eos uel picta uel quocunq; modo efficta Dei ſpecies aut imago. Sed in priori- bus centum & ſeptuaginta annis templa quidem ędificabant, ſacraq; tuguria erigebãt: ſimulachrum uero nullum corporeum faciebrã, nefas nimirum arbitrati deterioribus meliora aſsimilare, cum & Deus non niſi intelligentia percipi poſſe ipſis cre- deretur. Et hæc quidem Plutarchi ſunt, qui præter illa pacis quoq; ſtudium in Numa commendat, quod uidelicet ſectatus Romanos ab omnibus tur bis & bellis abſtraxit, et nunquam non pacem, concordiam & mutuum amorem fouit, ſic ni- mirum ut per annos regni ſui quadragintatres ſo lida & ſecura pax omnibus ſuis contigerit. Atqui nemo noſtrum ignorat, quid nam ipſe Dominus de his, qui pacis & concordiæ ſtudium ſectantur plantantq;, pronuntiet. Hæc ergo Zuinglius reſpe xit, ſperãs uidelicet, Dominum Deum, qui tantam notitiam & gratiam Numę lagiri dignatus fuerat, eidem miſericordiam ſuam nequaquam ſubduxiſ ſe, ſed abundantius multo cõtuliſſe et opulentius. Præterea credibile eſt, libros per Numam conſcri- ptos, tandemq; aliquot poſt obitum ipſius ſæculis (quemadmodum Auguſtinus ex Varrone prodi- dit

dit) inuentos, Romanorum (qui tunc uiuebant) ſuperſtitioni & infinitæ idololatriæ ex diametro, quod aiunt, repugnauiſſe, ideoq́ue ab idololatris Romanis igne eſſe crematos, ne ipſorum inſignis ſtultitia & inſania per uetuſtum illum regem Numam reprehenſa in lucem protraheretur. De Socrate ſatis fauſta & fœlicia ipſe D. Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 8. cap. 3. tradidit. Et eundem illum hāc unā ob cauſam Athenis damnatum cicutam bibiſſe ex fide dignis ſcriptoribus certo conſtat, quod de gentilitijs Dijs & idolis minus honorifice ſentiret, & uerum unicumq́ue Deum, cœli & terræ creatorem agnoſceret, illumq́ue longe alijs, quàm Athenienſibus in uſu eſſent, cultibus colendum eſſe doceret. Vbi non inepte ſperare licet, Deum ſuam illam immēſam miſericordiam illi nequaquam negauiſſe, qui ueritati ſeſe nunquam oppoſuit, quin potius illam, prout per Deum illi reuelata erat, firmiter amplexus tam ipſius quàm Dei cauſa necatus eſt. Ariſtides Ethnicorum humaniſsimus & optimus fuiſſe legitur, unde & nomen hoc non immerito conſecutus eſt. Iuſtitiam, modeſtiam & temperantiam in omnibus ſuis geſtis & dictis euidentiſsime exeruit: fide & beneficijs in patriam collatis eximius & clarus fuit: in exilio & ęrumnis ſuis grauiſsimis inſigni patientia & longanimitate claruit: inimicis ſuis et maleuolis nunquam malum malo compenſauit, cum id poſſet maxime: ſed & multa alia eiuſdem generis præclara facinora in uitæ ſuæ geſtis inuenire licet. Zuinglius ergo huiuſmodi uirtutes

Socrates.

Ariſtides.

non ex gentilitiæ mentis uoluntate(è qua nihil boni exoriri poteſt) profectas, ſed diuinæ gratiæ fructus et operationes fuiſſe reputauit. Vnde eò quoq; perductus eſt,ut clemẽtem illum & miſericordem Deum ſe longe liberalius adhuc aperuiſſe & per gratiam ſuam,non ſine Chriſti merito,eoſdem ſalute uera coronauiſſe ſperarit, quibus tanta prius ſuæ gratiæ ſpecimina obtulerat. Atqui his rationibus ductus quoſdam è gentilium numero, non ut Ethnicos & à Dei cultu fideq; alienos; ſed ut gratuita Dei miſericordia ſaluatos, inter beatos numerari poſſe exiſtimauit.

Scriptura non omnes gẽtes extra Iſraelis remp. conſtitutas dãnat.

Præterea gentes, quæ ab Iſraelis repub. alienæ fuerunt,nequaquam ita ſtricte & abſolute in ſcripturis damnantur, ſic nimirum, ut omnes iſti à ſalute excluſi ſint, qui ante Chriſtum natum nulla cum Iudaicis ſacramentis communione uſi ſunt. Illud quidem fatemur,ſacramentorum huiuſmodi contemptum perditionis cauſam ijs extitiſſe, qui cum Iſraelitæ eſſent,Sacramenta tamen diuinitus inſtituta impie contempſerunt.Deus quippe ſingulari quodam gratiæ ſuæ beneficio ſeſe Iſraeli reuelare uoluit:interim tamẽ gentes quoq; non in uniuerſum aſpernatus,ſed & his quoq; ſeipſum aperire reuelareq; dignatus eſt. Vbicunq; uero Dei reuelatio cernitur,ibidem gratiæ quoq; & fidei ſpes aliqua exiſtit. Dominus enim apud Eſaiam cap.55. ſic inquit:Quemadmodum pluuia aut nix de cœlo deſcendit,& illò non redit,ſed irrigat terram, & parere atq; germinare eam facit: ita erit uerbũ meum

quod

quod exit de ore meo: non redibit ad me uacuum: ſed faciet quæcunque uolo, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud. Porrò Deum gentibus quoque, pr ſquam Chriſtus naſceretur, ſeſe aliquo modo reuelauiſſe, duplici argumento demonſtrari poteſt. Primo, Paulus apoſtolus ad Rom. cap. 1. ſic ſcribit: Palàm fit ira Dei de cœlo aduerſus omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, qui ueritatem in iniuſtitia detinent. Propterea, (id eſt, ideo hoc dico) quod id, quod de Deo cognoſci poteſt, in ipſis manifeſtum eſt. Deus enim illis patefecit, &c. Et cap. 2. eiuſdem epiſtolæ idem ait: Gloria & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum ſimul & Græco. Non enim eſt perſonarum reſpectus apud Deum, &c. Quæ uerba D. Chryſoſtomus quoque homilia ad populum 12. de gentibus, qui ante Chriſtum natum fuerunt interpretatur, & inter alia uerba euidenter ſimul & clare ſic ait: Græcum hic uocat non idololatram, ſed Deum quidem ſolum adorantem: Iudaicarum uero obſeruationum neceſſitati non deditum, ſabbatiſmis dico, circuncíſioni & uarijs purificationibus, &c. Sed & Paulus in eodem capite pergit hoc modo: Nam cum gentes, quæ (ſcriptam illam & Iudaicam) legem non habent, natura tamen quæ legis ſunt faciant, eæ legem (ſcriptam) non habentes, ſibiipſis ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, ſimul atteſtante illorum conſcientia, & cogitationibus inter ſe accuſantibus, aut etiam excuſantibus, in die iudicij, &c. Se-

Deus gentibus quoque ſeſe aliquo modo reuelauit.

cundo, Deum compluribus tam ante quàm extra Iſraelis rempublicam ſeipſum reuelauiſſe, multis ſimul & præclaris exemplis demonſtratur, utpote uetuſtiſſimorum patriarcharum, qui quotquot Abrahæ tempora præceſſerunt, cum incircuncisi & Iudaicarum obſeruationum (ut quæ nondum inſtitutæ erant) expertes eſſent, in fide tamen per Dei gratiam ſaluati ſunt. Cum Abrahamo demum & ſemine eius fœdus & Teſtamentũ inſtituitur, imò renouatur, & circuncisionis ſymbolum traditur. Interim tamen præter ſemen hoc, ſcriptura plures alios ex uarijs & diuerſis gentibus commemorat, de quorum ſalute & beatitudine optima quæque ſperare poſſumus. Et horum quidem nonnullos hic quoque producemus. Melchizedech Iebuſæus uel Chananæus erat, Abimelech Philiſtæus. Sub Ioſephi gubernatione non pauci Aegyptij haud dubie ueram fidem amplexati ſunt. Iob Idumæus, Iethro Madianita fuit. Ex Loth Ammonitæ & Moabitæ deſcenderunt. Ruth Moabitis, Rachab Chananæa. Regina Sabæ, quam ad Solomonem profectam eſſe ſacra hiſtoria teſtatur, ex Arabia uel Meroë Aethiopica oriunda fuit. Hyram cum Tyri rex eſſet, Solomoni tamen in templi extructione non pœnitendo auxilio affuit. Naeman Syrus, & tamen Dei acceptus cultor extitit. Nineue Aſſyriorum metropolis unà cum rege ſuo Aſſyrio, Dei uerbo fidem habet. Nabuchodonozorem item Chaldæum, Darium Medum, Cyrum & Darium Hyſtaſpem Perſas fuiſſe legimus.

Gentiles ſancti & fideles.

legimus. Num ergo inter Romanos quoque & Græcos aliquot Dei amicos uel cultores fuiſſe abſurdum putabimus? Non dubium certe eſt, quin Babylonica quoque & Græca Iudaici populi, qui in Oriente, in Aegypto & aliis finitimis regionibus diſperſus fuit, captiuitas ſuos quoque fructus protulerit. Vnde D. Auguſtinus lib. de Ciuitate Dei 18. cap. 47. pie ſimul & orthodoxe ſentit, non omnes gentes, quæ extra Iſraelis rempublicam fuerunt, damnatas eſſe, ſed quod plures etiam ex gentibus ad ciuitatem Dei et populum Dei pertineant.

Nemo ex gentibus extra Chriſtum ſaluatus eſt.

Hiſce uero nec Chriſtus annihilatur, nec Verbum & Sacramenta diſſoluuntur uel abolentur. Quicunque enim ex gentibus ſaluati ſunt, non extra Chriſtum, nec citra Dei reuelationem ac inſpirationem ſaluati ſunt. Nam omnis caro in primo parente Adam corrupta & damnata eſt. Quapropter extra benedictum illud ſemen, ſecundum Adamum uidelicet, nulla uel benedictio, uel uita, uel ſalus eſt. Vbicunque ergo benedictio, uita uel ſalus eſt, ibi per Dei gratiam, in benedicto ſemine, Ieſu Chriſto nimirum, Dei filio, conſiſtit atque perficitur. Porrò, quod Verbum uel reuelationem attinet, Deus multiuarias & omnis generis rationes ac modos habet, quibus ſeipſum hominum animis & cordibus reuelare conſueuit. Citra internam profecto & ſingularem quandam Dei inſpirationem, Iob fortiſſimus ille patientiæ miles, ſplendidam illam confeſſionem

nequaquam protulit, qua & Chriſtum, & peccatorum remiſſionem, & carnis reſurrectionem, & uitam æternam hiſce uerbis multo clariſſimis confitetur, ac dicit: Vtinam ſcribantur mei ſermones: utinam in libro exarentur, ſtiloq́ ferreo incidantur in plumbum aut ſaxum, quò perpetuo durent. Noui etenim quod uindex meus uiuit, & quod nouiſſimo (tempore) adhibebit uim ſuam puluerí. Poſtquam uero circundederint (Trinitas, nimirum) hoc (quod uidelicet nunc ſum) mea cute, ſpectabo Deum è carne mea. Quem ego mihi contemplabor, & oculi mei uidebunt, & non alius: quod unicum meum eſt deſyderium. Quid uero his clarius dici poterat, de mortuorum reſurrectione, peccatorum remiſſione, de Chriſto denique Domino noſtro, qui propter humanæ naturæ, quam nobiſcum communem habet, ſimilitudinem uindex noſter dicitur? Naaman Syro, ut ad
2.Reg.5. ueri Dei cognitionem perueniat, per captam ex Iſraelitarum finibus puellulam occaſio offertur. Habet præter hæc angelos quoq́ ſuos Dominus, quorum opera ad hominum miniſterium uti conſueuit. Sed & prophetas gentibus ſua fata prædicere iuſſit, & Ionam ad Nineuitas ablegauit. Et ut paulò ante dictũ eſt, multæ quæ ad ſalutem, id eſt, ueritatis cognitionem perducere poſſent, occaſiones ꝑ Iſraelitici populi captiuitates & diſperſiones gentibus oblatæ ſunt. Orientales Magos ſtella duce Bethlehem uſq́ ad Chriſtum Ieſum perueniſſe legimus. Accedunt his Sibyllarum uatidici ſpiri-

tus, quarum miniſterio Deus per uniuerſum terrarum orbem inter gentes quoque aliquo modo ueritatis cognitionem reuelauit. In Aſia enim Sambethe Perſica, Erophyle uel Erythræa Chaldæa uel Babylonia, & cum his Phrygia & Helleſpontica floruit. In Affrica ea, quam Libycam dixerunt, fuit celebris. Europa Samiam, Delphicam, Albumeam, Cumeam & Amaltheam uel Cumanam habuit. Celeberrima ex his Erythræa, ex Chaldæorum gente oriunda, extitit. Quæcunque uero per hanc ſimul & reliquas literis mandata ad nos peruenerunt, nos breui compendio comprehenſa proponemus. *De Sibyllis & uaticinijs earum.*

Vnus, inquiunt, Deus uerus eſt, cœli et terræ creator. Hic filium ſuum, qui & ipſe uerus Deus eſt, in mundum miſit, qui Verbo morbos curauit (præteritis autem pro futuris prophetico more utuntur) mortuos reſuſcitauit, claudos, cæcos, ſurdos & mutos integritati reſtituit, uentorũ procellas domuit, ſuper aquarũ planiciem ambulauit, & uulgi multitudinem mirifice pauit. Tradetur autem hic in impiorum manus, qui alapis cæſum conſpuent, felle & aceto potum cibumq́ eius miſcebunt. Coronam geſtabit ſpineam, totus calamitoſus, miſer & contemptiſſimus erit. Propter nos autem patietur, ut afflictis & mœrentibus ſpem faciat. Templi uelum ſcindetur, & meridiem per trium horarum ſpaciũ tenebræ obſcuraturæ ſunt. Tertia die reſurget à mortuis, primitiæ reſurrectionis à mortuis ad uitam. In conſummatione ſæculi cœlitus deſcen- *De Chriſto ſaluatore.*

det ad iudicandum uiuos & mortuos. Impios qui-
dem repulſos tenebris & igni mancipabit, pios
uero in uitam ſuſcipiet, &c. Hæc & multa alia hu-
ius generis Sibyllæ literis mandata ad poſteros
tranſmiſerunt: è quarum numero quæ Erythræa
dicitur inter alia ſic inquit: Phanaticam & menda-
cem me dicent: porrò ubi hæc ut dixi euenerint,
tunc demum mei recordabuntur, nec me menda-
cem amplius, ſed magni Dei prophetiſſam fuiſſe
ſentient. Quam ob rem neminem eſſe exiſtima-
mus, qui hæc tam manifeſta & clara Sibyllis re-
uelata oracula ex diabolo profecta eſſe iudicare
poſſit, cum per omnia diuinæ ueritatis præco-
nibus prophetis conſentiant. Quod ſi uero quis
hæc, quæ de Sibyllis recitauimus, uel fabuloſa eſ-
ſe putauerit, uel non tanta luce & euidentia ab ip-
ſis prædicta eſſe ſuſpicetur, Auguſtini Steuchi de
perenni philoſophia libros uideat, Lactantium
item lib. 4. & 7. & Auguſtinū de Ciuit. Dei lib. 18.
cap. uigeſimotertio. Veteres Chriſtiani enim Sibyl
linis, ut ueris ac fide dignis, teſtimonijs uſi ſunt:
quamuis interim prophetarum oracula (ut par eſt)
apud illos quoque maiori in pretio fuerint.

Iuſtinus Martyr de Sibyllis.

Iuſtinus ſanctus eccleſiæ doctor & martyr Chri
ſti προτρεπτικὸν, id eſt, admonitorium ad Ethnicos
libellum olim conſcripſit, ad Chriſti & ſcripturæ
ſacræ fidem illos adhortans, in quo inter alia ſic
ait: Itaque uiri gentiles, aſſentimini uetuſtæ iſti an-
tiquiſſimæq; Sibyllæ, cuius uolumina toto terra-

rum

rum orbe aſſeruari contigit: quæ ſuperne afflata oraculis uos erudiet, quod qui dicuntur, Dij non ſunt. De Saluatoris autem noſtri Ieſu Chriſti futuro aduentu, & de his omnibus quæ is facturus eſt, manifeſte prænunciat, &c. Hæc Iuſtinus. Et hæc quidem de Verbi reuelatione, quę de Chriſto quoque inter gentes aliquo modo olim uulgata eſt, licet propter illorum cæcitatem & contemptum (quo reuelatam ſibi ueritatem negligentius receperunt) non uſqueadeo clara & euidens fuerit, quàm quod Paulus ipſos ante Chriſti aduentum abſque Deo ſimul & à teſtamento alienos in tenebris & ignorantia oberrauiſſe ſcribat. Quemadmodum apud Iſraelitas quoque in plena prophetarum copia multum ignorantiæ & cæcitatis uidere licuit. Sed & Chriſto iam incarnato & in mundo uerſante, uniuerſa illa ſalutis reuelatio tam apud Iudæos quàm gentes, iuxta Ieremiæ uaticinium, clarius perfectiusq; prædicata eſt: cum tamen ne ſic quidem apud omnes fidem inuenerit & recepta ſit.

Sacramenta gentiliũ ſalute non exinaniuntur.

Ex eo uero, quod quoſdam gentilium ſaluatos arbitramur, non illud colligitur, quod Sacramenta quæ ſingulari illi Dei populo inſtituta & tradita fuerunt, idcirco abolita & ſublata ſint. Baptiſmum & Sacramenta, quorum Lutherus meminit, tunc temporis nondum inſtituerat Dominus. Alia tunc in uſu erant, utpote circunciſio cum nonnullis alijs. De circunciſione autem Paulus ſic ſcribit: Circunciſio quidē prodeſt ſi legem ſeruaris.

Quod ſi tranſgreſſor legis fueris, circuncíſio tua in præputium uerſa eſt. Ergo, ſi præputium iuſtifica-tiones legis ſeruauerit, nónne præputiũ illius pro circuncíſione imputabitur? et iudicabit quod eſt ex natura præputium (id eſt, gentilis) ſi legem ſerua-uerit, te qui per literam & circuncíſionem tranſ-greſſor es legis. Non enim ea quæ in manifeſto ſit carnis circuncíſio, circuncíſio eſt, ſed circuncíſio cordis circuncíſio eſt, quæ ſpiritu conſtat, non li-tera, &c. Et his quidem uerbis Paulus circuncíſio-nem in Iſraelitis nec ſoluit, nec abrogat: interim tamen gentiles non damnat, qui incircuncíſi qui-dem, id eſt, Iudaico Sacramento initiati nequa-quam erant, pie tamen & ſancte per diuinæ gra-tiæ uirtutem & opem uiuebant. Præterea luce cla-rius conſtat, ſalutem uel beatitudinem Sacramen-tis minime alligatam eſſe. Et ab eo tempore, quo baptiſmi & cœnæ ſymbola per Chriſtum Domi-num inſtituta ſunt, non paucos uere fideles Chri-ſti cultores in deſertis hinc inde oberrantes ſine Dominicæ cœnæ communione fœliciter obdor-miuiſſe, manifeſtum eſt. Quidam in grauiſſimis illis per Romanos imperatores excitatis perſecu-tionibus nondum baptizati martyrij coronam ad-epti & propter Chriſtum occiſi ſunt. Et bona ſpes eſt complures etiam hodie uere Chriſtianos ho-mines apud Barbaros, Tartaros, Aethiopes, In-dos & Turcas ſub grauiſſimo perſecutionis & ſer-uitutis iugo abſque omni Sacramentorum uſu. & ſancte uiuere & fœliciter in Chriſto mori. Quo & illud

illud facit, quod à D. Auguſtino Quæſt. ſuper Leuiticum 84. proditum eſt, quibuſdam nimirum inuiſibilem ſanctificationem ſine uiſibilibus ſacramentis affuiſſe, inter quos & latronem cum domino crucifixum cõnumerat. Addit uero: Nec tamen ideo ſacramentum uiſibile contemnendũ eſt: nam cõtemptor eius inuiſibiliter ſanctificari nullo modo poteſt. Quod ipſum & nos hoc loco teſtatum uolumus, noſtram uidelicet ſententiam nequaquã eò tendere, ut Chriſti Sacramẽta aliquo modo uel extenuentur uel tollantur penitus. Vbi enim diuinarum inſtitutionum & Sacramentorum contemptus et ſpontanea, imò impia, eorundem negligentia regnat, ibi non magna de fide, interna gratia & ſpiritus integritate ſpes eſſe poteſt. Chriſto abſolutiſſima ſpiritus perfectio adfuit, nihilominus tamen in Iordane baptizatur. Eunuchus ille Aethiops Chriſto fidem habet, & Cornelius ſpiritu ſancto donatus legitur: interim tamen uterq; externum etiam aquæ baptiſmum accipit. Apoſtoli firma & excellenti in Chriſtum fide erant præditi, ſpiritali fidelium cibo nunquam deſtituebantur, interim tamen externam quoque Dominicæ cœnæ celebrationem obibant. In eccleſia ergo Sacramenta iuxta Chriſti inſtitutionem ab omnibus ijs, qui uere Chriſtiani ſalutem conſequi cupiunt, & accipi & dari debere credimus & docemus. Quapropter quæcunq; hactenus diximus, propter eos dicta ſunt, quibus uel ante Chriſtum incarnatum Sacramenta nulla inſtituta fuerunt, uel poſt Chri-

ſti tempora nulla offeruntur, nullo tamen horum contemptu, ſed neceſſitate, quò minus illis communicare poſſint, impeditis.

Itaque, cum diuina ſcriptura citra omnem Chriſti abnegationem, & citra omnem uel Verbi uel Sacramentorum annihilationem aut contemptũ, gentiles ab externa Iſraelis republica alienos, nequaquam abſolute & ſtricte condemnet, ſed & plures eorum (quorum numerus ſoli Deo notus eſt) ſanctos & beatos pronunciet, modeſtius certe & ciuilius Luthero hic quoq; pronunciandum erat de eo, quod Zuinglius gentiles nonnullos ſanctis & beatis adnumerandos eſſe cenſuit: cum uidelicet non niſi præſtantiſſimos quoſque & iuſtitiæ ſummos cultores ex eorum numero producat, & per hos omnes eos intelligi uoluerit, qui per gratiam Dei in Chriſto ſaluati ſunt. Zuinglium enim nec Chriſtum euacuare, nec quenquam abſq; Dei gratia uel extra Chriſtum beatum dicere, ex ipſius de Originali peccato libello euidentiſſime colligi poteſt, in quo ſic ait: Qui ſcimus, quid fidei quiſq; in corde ſuo Dei manu ſcriptum teneat? Senecæ uiri ſanctiſſimi fidem, quam epiſtola ad Lucilium 34. prodit, quis non admiretur? cum ait: Sic certe uiuendum eſt, tanquam in conſpectu uiuamus: ſic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum proſpicere poſſit, & poteſt. Quid enim prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretum? Nihil Deo clauſum eſt. Intereſt animis noſtris, & cogitationibus medijs interuenit. Sic interuenit dico, non tanquam

Zuinglius ipſe ſuam ſententiam declarat.

aliquando diſcedat. Hæc Seneca. Quis quæſo hanc fidem in cor hominis huius ſcripſit? Neque quiſquam putet iſta in euacuationem Chriſti tendere, ut quidam nos inſimulant: amplificant enim illius gloriam. Per Chriſtum enim accedere oportet, quicunque ad Deum ueniunt, de qua re paulò poſt. Vnde ſocerum Moſis ne ſuſpicamur quidem alia uia, quàm quæ dicit, Ego ſum uia, ueritas & uita, ad Deum perueniſſe: qua & Moſes & omnes uenerunt. Et hæc quidem omnia Zuinglij ſunt.

Ipſe Lutherus quoq; gentes non in uniuerſum damnat.

Porrò, ſi Zuinglius idcirco totus Ethnicus uel gentilis factus eſt, quod quoſdam è gentiliũ numero (propter Dei gratiam, non ideo quod gentiles uel fuerunt uel eſſe perrexerunt) inter eos qui in Chriſto ſaluati ſunt numerauit, qualem quæſo ipſum Lutherũ factum eſſe dicemus, qui & ipſe gentiles aliquot, ab Iſraelis repub. alienos, per FORTVITAM Dei miſericordiam ſanctos et ſaluatos fuiſſe tradidit? Quod ſi hoc dogma Lutherum gentilem reddere nõ poteſt, certe nec Zuinglius idem docendo gentilis factus eſt. Conſtat ergo, Lutherum affectuum impetu ductum & abreptum longe alium ſe gerere, quàm huiuſmodi uirum decere poſſit. Porrò ſi quis hic nobis diffidens Lutherum id nunquam docuiſſe putauerit, is ea quæ ex ipſius libris modo producemus, teſtimonia audiat. Primo etenim anno à nato Chriſto 1528. homiliæ aliquot in Geneſim à Luthero conſcriptæ ſunt & editæ: & in caput illius uigeſimum ſcri-

bens uerum diſputationis huius caput ac fundamentum, ut & Zuinglius, præmittit, nullam uidelicet extra Chriſtum opem eſſe, & ſine Chriſto neminem ſaluari poſſe. Deinde ſingulorum iudicijs excutiendum relinquit, num Abimelech (de hoc enim Philiſteorum rege eo in loco diſputat) uere ſanctus fuerit, uel in eo dũtaxat, quod circa Abrahæ uxorem contigit, facinore. Poſtea nonnihil pergens, ſic inquit: Illud enim negari non debet, ſæpe numero ſcilicet inter gẽtes quoq; uere ſanctos (uel integros. Chriſtianos fuiſſe: qualem & Nabuchodonozorem regem & Naeman Syrum fuiſſe legimus: qui & ipſi, & plures alij gentilium uiri ſancti fuerunt. Credibile ergo eſt, hunc quoq; (Abimelech nimirũ) fidelem fuiſſe. Noli enim rem leuem aut ridiculam putare, ſicubi Deus tantam gratiam exhibet, quantam huic Regi contulit, ſic nimirum, ut illum conueniat, illi ſeſe reuelet, illi colloquatur, & ne damnum aliquod incurrat, præmoneat. Virum certe non uulgarem fuiſſe oportuit. Gentiles ſuæ ipſorum rationi permittit. Si uero alicui tanta familiaritate ſeſe coniungat, hoc quaſi ſigno prodit, ſe illius uitam uigilanti oculo inſpicere, & eundem coram ſe in aliquo precio haberi. Gentiles certe non ita prorſus reijci debent, qui Iudæis uicini in illorum confinijs habitarunt: eò quod quidam ex ijs quoq; ſancti fuerũt, quales & Reginam Sabæ & Hiram regem Tyri fuiſſe legimus. Et paulo poſt: Velim equidẽ diuinam gratiam ad gentes quoq; extendi, & magni beneficij ac gratiæ loco

ducendum

ducēdum eſſe exiſtimo, quod ipſe Dominus illum admonere & ipſi apparere dignatur. Secūdo, idem Lutherus in cap 4. Geneſeos in enarrationibus anno 1544. æditis ſic ſcribit: Valde credibile eſt, quod multi ex poſteritate Cain ſaluati ſint, qui ſe coniunxerunt cum uera eccleſia, Sicut poſtea apud Iudæos etiam locus fuit proſelytis & gentibus. Sic ualde dura lex fuit, ne quis ex Moabitis & Ammonitis adhiberetur ad eccleſiaſticas operas. Et tamen multi tum Ammonitæ tum Moabitæ ſaluati ſunt, qui uenerunt ad reges Iuda & ſeruierunt eis. Sic Ruth mater & proaua Saluatoris noſtri, fuit ipſa quoq; Moabitis. Hæc fuit, ut ſic uocem, fortuita miſericordia, non certificata prius per promiſsionē. Sic Naaman, ſic rex Niniuitarum, ſic Nebucadnezar et Euilmerodach, & alij ex gentibus fortuita miſericordia ſaluati ſunt. Non enim, ut Iudęi, habebant promiſſionem de Chriſto. Rurſus in eodem libro, folio 84. idem Lutherus etiam hoc ait: Etſi enim ſoli Iudæi habebant gloriam huius ſeminis & promiſsionem (ſecundum Pſalmum 147. Non fecit taliter omni nationi) tamen gentes habuerūt, ut ſic dicam, ius mendicandi, & conſequebantur idem beneficium propter miſericordiam Dei, quod Iudæi propter ueritatem ſeu promiſsionem Dei habebant. Et hactenus Lutheri uerba recenſuimus. Quem uero tam hebetis ingenij hominē dabimus, qui non intelligat, quàm miſere affectuum turbinibus agitata Lutheri cauſa periclitetur? Zuinglius eodem ferè modo, quo & Lutherus, de gentium ſalute diſſe

ruit: id tamen ea animi amarulentia iſte excipit & ea malignitate (quemadmodum ſupra dictum eſt) interpretatur, quaſi hãc unam ob cauſam Chriſtianæ fidei deſertor totus in Ethnicum uel gentilem degenerauerit, cum tamen idem Lutherus gratiam ad gentes quoq; extendi uelit. Quid multis? Zuinglius diſertis uerbis illud confeſſus eſt, quod non niſi per Chriſtum Ieſum ſaluati ſint, quicunq; gentilium ſalutem ſunt cõſecuti. Lutherus autem nonnihil obſcurior hic, per fortuitam Dei miſericordiam illos ſalutem inueniſſe aſſerit. Hæc ergo fidelium iudicio examinanda relinquimus.

Vt Lutherus poſt Marpurgenſis Colloquij pactum et conditiones ſeſe nec pacificum nec amicum præbuerit.

PERGIT deinde in Marpurgenſis Colloquij mentione Lutherus, ſic dicens: In Sacramenti negotio minus conueniri potuit, quæ tamẽ pugna ea conditione dirempta eſt, ut utraq; pars ſe alteri amicam præbere, & ab acerbo illo & acri contẽtioſorum librorum ſtilo ſibi temperare deberet &c. Quàm egregie uero Lutherus ab acerbis illis & amarulentis ſcriptis ſibi temperauerit, ex iјs libris facillime intelligi poteſt, qui poſt Marpurgenſis Colloquij conuentiones ab ipſo ſunt æditi. E quibus aliquot (quis enim omnia enumerare poſſet?) teſtimonia huc producemus, ut quicunque uolet de iјs iudicare poſsit.

Luth. fanaticos ſedibus pellere ſuadet.

Anno poſt natum mundi ſaluatorem 1532. ad Illuſtriſſ. principem D. Albertum Marchionẽ Brandenbur

denburgenſem & Pruſsiæ ducem epiſtolam typis excuſam Lutherus ſcripſit, in qua poſt multa in fanaticos & ſectarum ſtudioſos ſpiritus iactata conuitia, tandem illud apud Principem precibus & admonitionibus impetrare cupit, ut & nos & doctrinam noſtram deuitet, & intra ditionis ſuæ limites ſerpere nuſquam patiatur. Ipſum enim, ſi iſtiuſmodi ſpiritus admittat uel ferat, conſcientiam ſuam immani ſcelere aggrauaturum eſſe, ſic ut nunquam fortaſsis illam pacare rurſus liceat. Quoniam uero unicus epiſtolę illius finis & ſcopus hic erat, ut Illuſtriſsimus Princeps omnes eos agro & ditione ſua pelleret, qui Lutheri doctrinam minus reciperent, nos quoq; illorum ærumnas miſerti ad eundem Principem unanimi conſilio literas dedimus, humiliter nimirum hoc unum precati, ne quid ſeuerius in eos, qui noſtram, imò orthodoxam fidem ſequerentur, ſtatueret. Et licet tunc quoq; Lutherus nos immanibus conuitijs obrutos, in uniuerſum abijceret, nos tamen illum nec damnandum nec abijciendum eſſe cenſebamus, nec conuitijs conuitia referebamus. Teſtantur hoc ipſius epiſtolæ noſtræ uerba, quæ in hunc modum ad Principem ſcripta ſunt: Lutheri famam ac nomen nullo modo hiſce noſtris uel eleuare uel extenuare cupimus: Ipſum ſane eximium Dei miniſtrum agnoſcimus, fatemur quoq; Deum illius opera uſum multos & eximios fructus in uniuerſo terrarum orbe protuliſſe. Hoc unum uero illum admonemus, ut ſe hominem eſſe agnoſcat, & quod non omne illud

Rotten geiſter.

ſpiritus ſit, quod ab ipſo ſcribitur uel dicitur & agitur, quod deniq; errare poſsit, & ne ſuos in opere Dei conſeruos in uniuerſum contemnat et reijciat. Nam & Petrum poſt acceptum iam ſpiritum errauiſſe, & Pauli correptionem patienter tuliſſe conſtat. Nequaquam enim cõuenit, ut carnem pro ſpiritu uenditemus. Saul à Domino electus erat, & tamen in multis errauiſſe legitur. Similiter & Dauid uir iuxta uolũtatem Dei celebris, qua ratione adulterium ſuum ſpiritus fuco uelare poterit? En ſut Moſes quoq; fidus ille in domo Dei ſeruus uacillans & impingens errauerit. Lutherum ergo precamur, ut nos fratres ſuos agnoſcat, ſe à nobis nõ ſeparet, nos non in uniuerſum abijciat: omnem de nobis charitatis & pacis ſpem illi pollicemur, ipſe ſolum modo agnitam ueritatem nos deſerere ne cogat &c. Amica hæc & placida ad Illuſtriſsimum principem reſponſio, eodem anno ſcripta & miſſa eſt: apud Lutherum uero tantum (ſi Dijs placet) effecit, ut indies inhumanior, arrogantior & inſolentior
1533 factus ſit. Anno enim proxime ſequenti ad Francfordienſes, ad Mœnum ſitos, epiſtolam typis excuſam dedit, in qua præter omnem modum conuitiatur & furit. Inter alia certe ſic ſcribit: Quiſquis Eccleſiaſten uel parrochum ſuum Zuingliani dogmatis ſectatorem & doctorem eſſe certo nouit, ipſum deuitare debet, & per omnem uitæ curſum potius à ſacramẽti communione abſtinere, quàm ut ab illo ſuſcipiat, imò moriendum potius & extrema quęq; ſibi ferenda eſſe putabit. Et paulo poſt

etiam

etiam hoc addit: Ab officio & ſuggeſtu repellendi et ditione eijciendi erãt iſti homines. Ad quid enim proſunt horrenda illa * præſtigia, quibus populũ docere ſtudent, cũ interim nihil diſerte enuncient, * ſed in tenebras plus quàm Cimerias illum abducunt? Præterea eodem loco fanaticos illos (Suermeros enim dicit) archidiabolos eſſe clamitat: ſed & diſtinguit inter hos, duo ipſorum genera conſtituens: quoſdam enim craſſos eſſe dicit, Tropiſtas nimirum & Figuriſtas, alios præter hos, bilingues hypocritas. Ibidem etiam ſic pergit: Quod ſi eccleſiaſtes tuus tibi ſuſpectus fuerit, ipſum libere accedas uelim, uel miſſo aliquo internuncio ſignificanter hoc tibi expedire iube, quid nimirum hoc eſſe dicat, quod ipſe manibus ſuis tibi porrigit, & tu ore tuo excipis: omiſſa interim quæſtione hac, quid animus interne uel credat uel non credat. Hoc unum ſimpliciter reſpondeat, quid nimirum manus & os accipiat. Quod ſi fanaticus uel Suermerus eſt probus & integer, qui aperte tecum agere uelit, ſic reſponſurus eſt: quod nimirum nudum panem & uinum tibi porrigat, in quibus interim Chriſti corpus & ſanguinem conſyderare & illi credere debeas, &c. Quod ſi uero quidam è circulatorum numero fuerit, qui * occultius & fraudulentius hic agunt, † incertum quiddam & ambiguum dicens & dogmatis ſui pulmentum incertis labijs hinc inde uoluens tandem ſaliuam ſuam ſic expuet: Sufficit equidem ut illud corpus credas, quod Chriſtus hic intelligit, &c. Atqui hic nõ

Gougelſpil. Wyſend ſy ins finſterloch.

Fanaticorum duo genera.

Vnder dem hütlin ſpilend. † Mum mum.

Den pꝛy im maul vm̄werſſen oder welʒen. *decet pulmentum in ore tanta cum ambiguitate uoluere & reuoluere ac nihil certi pronunciare. Nequaquam ita docendum eſt, Crede corpus, quod Chriſtus intelligit. Pulmentum hoc ſemel expuendum, omnis ambiguitas tollenda & libere ac aperte dicendum erit, Num ore ſuo nihil aliud præter panem & uinum accipiat. Quomodo enim corpus illud credere debeat, quod Chriſtus intelligit, in ſuggeſtum uel aliud tempus reſeruandum eſt. Hic illud expediendum erit, quid panis & uinum ſint in Sacramento, nec illum *obſcuris huiuſmodi inuolucris uenditare oportet. Hic enim nihil occultius & fraudulentius agere, nec etiam in tenebris *micare conuenit.

Im ſack verkouffen. Mauſen.

His & alijs huius generis ineptis & impuris epiſtolis Lutherus nondum contentus, nec etiam adhuc animi ſui impotentis furorem ac odium aduerſus complures ſanctas eccleſias earundemq́ miniſtros reſtinguere potuit. Nam alium illico librum de Miſſa priuata & ſacerdotum conſecratione anno 1534. in lucem emiſit, in quo inter multa alia ſic ait: A me ipſo hic exordiri & confeſſiunculam aliquam facere inſtitui. Quondam intempeſta nocte è ſomno euigilaui, & mox Satan huiuſmodi diſputationem in animo meo (quemadmodum ſcilicet multas noctes mihi ſatis amarulentas & acerbas reddere ille nouit) mecum inſtituit: Audis ne excellentiſſime Doctor: Num ignoras te quoque per annos quindecim priuatas Miſſas quotidie ferè celebraſſe? Quid uero, ſi Miſſis huiuſmodi

Satan cū Luthero diſputat.

modi meram idololatriam exercuiſſes, & nō Chri
ſti corpus & ſanguinem, ſed nudum panem ac ui-
num illic & tu adorauiſſes & aliȷs quoque exhi-
buiſſes adorandum? Reſpondebam ſic: Atqui ſa
cerdos ſum ad iſtud muneris conſecratus, qui &
chriſma & conſecrationem ab epiſcopo olim ha
bui: præterea omne hoc ex meorum iuſſu & obe-
dientiæ debito per me factum eſt. Cur ergo non
conſecrauiſſem, cum uerba ipſa diligenti ſtudio
pronunciauerim & ſumma qua potui deuotione
in Miſſis celebrandis uſus ſim? Vere equidem hoc
dicis (reſpondit Satan.) Sed & Turcæ & Ethnici
omnes quæcunque in templis ſuis agunt, ex iuſſu
& ſtudioſa obedientia facere ſolent, &c. Hæc illo
dicente ſudor obortus eſt, & cor mihi tremere &
ſubſultare cœpit. Diabolus ſua argumenta fortiter
figere & urgere nouit. Voce quoque graui & forti
utitur. Nec longis & multis meditationibus di-
ſputationes iſtiuſmodi tranſiguntur, ſed momen
to uno & quæſtio & reſponſio abſoluitur. Senſi
equidem & probe expertus ſum, quam ob cauſam
illud nonnunquam euenire ſoleat, ut ſub auroram
quidā mortui in ſtratis ſuis inueniantur. Corpus
ille perimere uel iugulare poteſt. Nec id modo,
uerum & animā diſputationibus ſuis ita urgere &
in anguſtum coarctare nouit, ut in momēto quoq;
illi excedendū ſit, quò ſanè me quoq; nō ſemel tan-
tum non perpulit. Deinde eodē loco etiā hoc addit
Lutherus: Credo equidē, quod Emſerus & Oeco-
lampadius, ac aliȷ horū ſimiles, iſtiuſmodi ignitis

Satanæ telis & haſtis confoſſi ſubitanea morte perierint. Nemo enim mortalium citra ſingulare Dei auxilium ac robur illas ſuſtinere poteſt. *Iucũdum equidem ſeſe diſputando præbet, ſcilicet. Breuibus enim tranſigit omnia, nec diu moras nectit, ſi quidem uirum ſolitarium domi ſuæ inuenerit, &c.

Burgʒwylig.

Hæc Lutherus: ex quibus aliud colligi non poteſt, quàm quod Oecolampadius ſubitanea morte ſublatus, & per Satanæ fraudes, tentationes, uires & ignita tela interemptus ſit. Et hic Lutheri ſermo per totam legitur Germaniam, & cum multi quæcunque à Luthero dicuntur, reuera ſic geſta eſſe credant, apud multos quoque illud iam concluſum & receptum eſt, D. Ioannem Oecolampadium ſubitanea morte & quaſi ab ipſo diabolo occiſum occubuiſſe. Quæ opinio poſtea apud multos ſimplicioris ingenij homines doctrinam quoque noſtram ſuſpectam & inuiſam reddit. Interea tamen nihil ultra dicemus, quanta cum iniuria Lutherus Oecolampadium, fidelem illum Chriſti miniſtrum, Emſero inſigni illi euangelicæ ueritatis perſecutori coniungat: quanta etiam cum uanitate & offendiculo coram infirmis de Satana & uiribus uel potentia ipſius diſputet, quàm horrendum denique & ab omni Chriſtianæ fidei conſolatione alienum illud ſit, quod de multis uere pijs et fidelibus, qui ſubito ſed fœliciter ſatis beateq́ʒ expirantes ſub auroram in ſtratis ſuis mortui reperiuntur, ſcribit ac diſſerit. His, inquam, omiſſis omnem de Oecolampadij obitu hiſtoriam ſimpliciter

ac uere contra uaniſſimam illam Lutheri calumniam, qua optimum uirum ubique locorum infamem reddere ſtuduit, apponemus: ut uel hinc, qui Luthero nimium tribuere ſolent, liquido colligere poſſint, quod nõ omne illud, quod ille tradit, citra omnem inquiſitionẽ pro uero, certo ac ſolido recipi debeat.

De obitu D. Ioan. Oecolampadij.

D. IOANNES OECOLAMPADIVS, P. M. inclytæ Baſileæ fidelis paſtor et orthodoxus doctor, nec ſubitanea nec miſera morte obijt, nec à diabolo iugulatus expirauit, ſed cum per dies aliquot decubuiſſet, fœliciter obdormiuit. Priuſquam uero decumberet, diu ante corporis ægritudinem ſenſit, nec tamen ideo aut concionari, aut prælegere, aut lucubrari deſijt. Vbi uero decumbere coactus eſt, diebus plus quindecim decubuit. Medici ſummo ſtudio & cura, idq́ à Senatu iuſſi & admoniti, illi affuerunt. Interea quantum amicorum in urbe fuit, ordinum quidem omnium, utpote de Senatu optimus quiſque, de doctorum numero & plebe illum inuiſere cœperunt, quos omnes humaniter acceptos & pijs conſolationibus confirmatos dimiſit. Vbi uero decimusquartus ab eo quo decumbere cœpit tempore dies illuxiſſet, & naturæ uires deficerent, ut extremam fati ſui horam non uſqueadeo procul abeſſe non obſcure ſentiret, parochos, doctores & miniſtros Baſilienſis eccleſiæ conuocauit. Eos cum ad ipſum conueniſſent, in uera fide confirmauit, charitatis ſtu-

dium commendauit, & ut fortes & in Chriſtiana ueritate conſtantes eſſe pergerent, hortatus eſt. Inter alia uero hæc quoque dixit: Corruptæ ueritatis ſcelus, quod nobis imputatur, nihil moror. Subeo iam bona per gratiam Dei conſcientia tribunal Chriſti, hic liquidum erit, Eccleſiam per nos non eſſe ſeductam. Cuius quidem ſententiæ conteſtationisq́ noſtræ teſtes uos relinquo, & ipſe hoc extremo ſpiritu confirmo. His dictis omnes miniſtros accedere iuſſit, ut dextris datis eccleſiæ curam bona fide ſuſcepturos eſſe pollicerentur. Poſtridie, quæ iam quindecima dies fuit, liberos & uxorem in conſpectum duci iuſſit, quibus ubi ualedixiſſet, uxorem, ut liberorum curam gereret, & in pietatis ac religionis ſtudio educaret, hortatus eſt. Vbi uero craſtina quoque, quæ decimum ſextum & fatalem diem ſanctiſſimo uiro aduehebat, aurora oriri cœpit, celeberrimam illam Dauidis pro peccatis deprecationem integram à principio ad finem ductis ab imò pectore pijs gemitibus palàm omnibus peregit. Interea temporis adfuerunt decem ex fratribus, in genua circa lectulum deuoluti ſublatis omnes in cœlum animis & manibus. Poſtquam Pſalmum graui & difficili ſermone totum abſoluit, & ultima iam uitæ portio ſupereſſet, ultimam uocem, SALVA ME CHRISTE IESV, ædidit. Et paulò poſt ſpiritum creatori reddidit, tanta animi per omnia lenitate, tam certa in Chriſtum Dominum fiducia

Proteſtatio Oecolampadij ante obitũ facta.

Pſalm. 51.

ducia

ducia, ut quotquot præſentes erant, ſingularem inde animi fortitudinem, certiſſimam fiduciam & inſignem in Deo tranquillitatem perciperent. Et poſtquam uita hac defunctus eſſet, magno & publico luctu ad ſepulturam elatus eſt, ipſum funus tota ciuitate & omnis ordinis hominibus comitantibus. Viuunt etiam nunc Baſileæ multi & fama & uitæ integritate præclari uiri, qui hæc (ut breuiſſime modo expoſuimus) ſic reuera geſta eſſe teſtari poſſunt. Extat præterea Oecolampadij obitus optima fide conſcriptus & in lucem æditus per pientiſſimum doctiſſimumq; uirum, Simonem Grynæum, Baſilienſis eccleſiæ profeſſorem, fratrem noſtrum dilectiſſimum, qui omnium quæ ſcripſit ipſe & auditor & ſpectator præſens adfuit, & quia hæc omnia coram uidit, publico ſcripto ueritati teſtimonium maximas ob cauſas ferre uoluit. Quod ſi hic Oecolampadij obitus Lutherum non latuit, nihilominus tamen hoc malignum cõmentum ſuum per uniuerſam Germaniam longe lateq; diffudit, periculum certe eſt, ipſum hoc ex nullo bono ſpiritu hauſiſſe, ſed illius potius inſtinctu ſcripſiſſe, qui tunc temporis diſputationem cum illo inſtituit, & quantum ex hoc eius facinore iudicare licet, Lutherum diſputando ſuperauit. Quod ſi uero ex aliorum rumoribus aut ſcriptis illud didicit, & ijs ſe niti poſſe exiſtimamus incerta fama falſus tam fœdam calumniam defuncto iam intentauit, facinus

indignius certe & hoc eſt, quàm quod Lutherum decere, aut à quo ſe digne purgare poſſit. Sed & aliàs optimum uirum D. Ioannem Oecolampadium, uitæ ſanctimonia & eruditione excellentiſſimum, Lutherus tam in hac ſua Confeſſione, quàm alibi, inhoneſtius ſimul & inciuilius tractare ſolet, quàm ulli honeſtatis & modeſtiæ amantes (utcunque Lutherani nominis ſtudioſi admiratores) æqua mente ferre aut commode excuſare poſſint. Quanta enim donorum diuinitus ſibi conceſſorum fœlicitate abundarit, quo fidei orthodoxæ ſtudio, qua animi integritate, qua eruditione & experientia tam in ſacris ſcripturis, quàm in linguis quinque potiſſimum, Hebraica, Græca, Latina, Germanica & Chaldæa ex parte, in omni denique artium liberalium cognitione, excellens & præſtans fuerit, libri ipſius teſtantur, & plures in Germania, Gallia, Italia & multis alijs nationibus uere docti & eruditi uiri comprobant. Permittimus hic ipſi denique Luthero iudicium pronunciandi quãto ſeipſum interuallo præferat Oecolampadio. Nolumus enim gloriari in immenſum. Quàm uero in uitæ conuerſatione honeſtus, quàm eximio & miti ſpiritu præditus, quàm laborioſus & longanimis, quàm diligens & circumſpectus, quàm aſſiduus in ſtudio, qua denique leuitate, Chriſtianæ charitatis ardore & precandi aſſiduitate inſtructus fuerit, quanta cura eccleſiæ præfuerit, Baſilienſis eccleſia, cuius fidelis paſtor

per annos

per annos aliquot extitit, multiplici & uero teſti-monio etiam nunc comprobare poteſt. Sancta & fidelis Baſilienſis ciuitatis eccleſia ueritatis à paſtore ſuo traditæ corona, gloria, teſtimonium & ſigillum eſt. Et fidelis ille ac uerus paſtor eccleſiæ ſuæ, quæ tamen Chriſti eccleſia eſt, honor & gloria eſt. Sed Lutherus ſancti & fidelis Chriſti miniſtri honorem infamia polluere ſtudet, cum interim hoc ſuo ſtudio ſeipſum potius infamet ac polluat. Deus illi peccata ſua remittat, & faxit ut tandem ſua ipſius facinora poſſit agnoſcere.

Redimus nunc ad intermiſſam nonnihil expoſitionem noſtram, qua quid poſt Marpurgenſe Colloquium geſtum ſit docemus. Vbi itaque ea, cuius ſupra meminimus, ad Franckfordienſes epiſtola uulgata eſt, & eidem alter ille de Miſſa priuata liber ſucceſſit, tanta in Oecolampadium calumnia inſignis, communi conſilio inter nos, Tigurinæ eccleſiæ miniſtros, ſtatutum erat, fidei noſtræ, doctrinæ item & rituum omnium rationem Latine ſimul & Germanice conſcribere, noſtram & noſtrorum innocentiam tueri & aſſerere, & hanc quoque typis excuſam uulgare. Etiam ad extremam ferè metam hic labor noſter deſudarat, cum ab Argentina adeſt eruditione inſignis D. Vuolphgangus Capito P. M. frater noſter in Chriſto uenerabilis, & multis exponit, quantum offendiculi apud ſimplices, & impedimenti circa fidem apud infirmos ex iſtiuſmodi contentio-

D. Vuolphgangus Capito.

ſis Euangelij doctrinam prædicantium ſcriptis, oboriri ſoleat: ſpem quoque bonam eſſe pollicetur, Lutherum nihil poſthac tam abſurdi facturum: alios eius incentores ac ſtimulatores eſſe, qui ipſo longe in hac re nocentiores ſint & magis reprehenſione digni: præterea illam quoque ſpem iam apertam eſſe dicebat, quod omnes circa Domini cœnam exortæ pugnæ & contentiones breui per Chriſtianam ac ueritati conſonam Concordiam eſſent tollendæ, quod in ea ſarcienda plures & principes & docti uiri iam occuparentur: & hoc quidem tam ſalubre opus nos noſtro illo Apologetico impedituros querebatur. Multũ ergo obſecrabat, ut ab Apologetici huius æditione abſtineremus, ſimul etiam fidem & ſtudia ſua tam nobis quàm eccleſijs noſtris pollicebatur. His ergo tandem moti, Capitonis ſententiam admiſimus, ſic ut Apologeticus in lucẽ non æderetur, & Luthero atroces illæ & noſtris & nobis ipſis intentatæ calumniæ amicè & humaniter cõdonarentur, hac nimirũ ſpe animati, ꝙ plures eſſe crederemus per uniuerſam Germaniam homines ab huiuſmodi affectuum intemperie liberos, qui tam noſtrorum quàm noſtræ innocentiæ & Chriſtianæ conuerſationis non omnino ignari eſſent.

Copioſius paulò & fuſius hæc omnia idcirco exponere uiſum eſt, ut hinc omnibus conſtet, utra pars pacis & concordiæ ſtudioſior fuerit, & quàm bona fide Lutherus, ab amarulentis illis ſcriptis

ſuis,

ſuis, iuxta Marpurgenſis Colloquij cōuentionem, ſibi temperauerit.

Quid & qua ratione de Concordia inter Lutherum & Helueticas eccleſias actum ſit.

HIS uero, quæ hactenus expoſita ſunt, ea quoque quæ in Concordiæ negotio euenerunt, cohærent, & cum horum ab ipſo Luthero mentio quædam facta ſit, nobis etiam paucis de his diſſerendum eſt, ut nimirum negotium omne plenius intelligi, ueritas clarius agnoſci, & innocentia noſtra apertius cerni poſſit. Lutherus enim in hac ultima ſua Confeſſione ſic ait: Quapropter ſi quis uel Marpurgenſis Colloquij aut conuentionis rumore, uel alijs cauſis perſuaſus me fanaticorum ſententiam probare & inter nos conuentum eſſe putauerit, illum per Dei nomen obſecro, ne hoc ullo modo credere dignetur. Deus prohibeat oro, ut & hactenus fecit, ne mei nominis authoritate uel minimum fanaticorum articulum ſciens uolensq; uel tegam uel confirmem. Et paulò poſt: Nam uel centies quoque laniari aut igne comburi mallem, quàm cū Zuinglio, Oecolampadio, & quicunq; præterea ſunt,* miſeri & infœlices fanatici, eandem uel ſententiam uel uoluntatem ſequi, uel in illorum doctrinam conſentire. Hæc Lutheri uerba illud ferè innuere uidentur, quaſi nos Lutherum nobiſcum ſentire gloriati ſimus, & hac uel

Lutherus orat, ne quis illum nobiſcum ſentire putet.

Die leidigen ſchwermer.

gloria uel Lutherani nominis authoritate noſtram ſententiam mundo perſuadere & inculcare quodammodo uoluerimus, quaſi tanta ſit illius apud omnes authoritas, ut nihil bene & digne uel dictum uel factum uideri poſsit, quàm quod Luthero authore dictum & factum eſt. Sed Lutherū hoc loco ſecurum & læto animo eſſe iubemus. Sui enim nominis authoritate nihil unquam uel probauimus uel probare potuimus: præterea nunquam illius tanta fuit apud noſtrates authoritas, ut huius patrocinio multum proficere potuiſſemus. Fundamentum, ſuper quod nos ædificauimus, Chriſtus, & gloria noſtra ſacroſanctæ ſcripturæ ueritas eſt: ex illa hactenus noſtrates inſtituere & doctrinam noſtram confirmare & tueri ſoliti ſumus. Quod ſi quid unquam ſecus facere, & uel Luthero uel alijs quibuſcunq; hominibus niti & nobis commiſſos niti uoluiſſemus, nobis nec aures nec fidem noſtri præbuiſſent. Scripturis autem auſcultarunt, & Deo crediderunt. Interim tamen Lutherum nunquam ſumus aſpernati, ſed uerbi præconem & eccleſiæ miniſtrū eſſe agnouimus, qui ipſi Domino et ſcripturarum authoritati atq; eccleſiæ nō minus quàm nos ſubiectus ſit. Quod ſi noſtræ ſententiæ nullo modo accedere nec noſtræ uolūtati cōſentire uult, illud quo minus fiat, prohibere non poſſumus. Semel illud nobis ferendum eſt. Quibus uero rationibus ſe hic tueri & purgare poſsit, ipſe uiderit. Paulus certe ſic ait: Obſecro autem uos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut idem loquami

Lutheri nomine nihil unquā uelauimus.

Nos à nullis fidelium qualeſcunq; aut ubi ſint, nos ſeparamus.

ni

ni omnes, & non ſint inter uos diſsidia: ſed ſitis integrum corpus, eadẽ mente, eadem ſentẽtia Hanc ergo Paulini dogmatis rationem ſecuti hactenus eandem uoluntatem & ſententiam cum omnibus ijs ſecuti fuimus, & etiam nunc ſequimur, qui ubiuis gentium ſcripturis credunt, fidem ſuam & fundamentum in unum Chriſtum, Dei filium, collocantes Chriſtiane ac pie uiuunt. Et hic quidem à nemine ſcindimur aut ſeparamur, niſi ab ijs, qui iam ante ſeſe à Chriſto & ſcripturis ſcindi & ſeparari paſsi ſunt. Eandem Pauli doctrinã ſecuti, aliorum quoq; conſilia & rationes audire non ſumus dedignati, cum de Concordia cum Luthero, imò cum uniuerſis inferioris Germaniæ eccleſijs, ineunda, amice per quoſdam compellaremur. Primo enim alij quidam apud nos eam rem agitare cœperunt, nec quiſquam, ut Concordiam hanc ambiret, unquam per nos ſubornatus eſt, ne quid hic iniquius de nobis ſuſpicari Lutherus poſsit quaſi nos dolo & aſtu quodam hæc ſubornauerimus, ut cauſam noſtram prauam (qualem nos nullam agere certo ſcimus) uelare & ornare nobis liceret. Ita autem res hæc geſta eſt, quemadmodum nunc paucis & breui compendio illam complecti, non autem omnia per ſingulas circunſtantias exponere (quamuis & hoc ex omnium Comitiorum Actis facile liceret) inſtituimus.

Anno 1536. circa finem ferè menſis Ianuarij, magnis & grauibus de cauſis Heluetic æ eccleſiæ, quæ Euangelij doctrinam abiectis humanis traditionibus amplexatæ ſunt, Comitia miſsis ad hæc legatis *Prima Concordiæ occaſio.*

ſuis Baſileæ habuerunt. Interuenerunt his ſua ſpon te, neq; alio (ſicut ipſi teſtabantur) quàm concordiæ & pacis ſtudio, quam plantare unice cupiebãt, excitati doctiſsimi uiri D. Vuolphgangus Capito P. M. & Martinus Bucerus, & multis quidem ac co pioſis uerbis expoſuere, eſſe quoſdam pietate inſignes uiros, qui multum hactenus moleſtiæ, laboris & ſumptuũ inſumpſerint, ſi quo modo inter ſu perioris Germaniæ; Heluetiæ in primis, eccleſias & D. Lutherum, imò omnes inferioris Germaniæ eccleſias concordia & pax conſtitui, & diſcordia circa Sacramentũ oborta (quæ in uerbis potius quàm ipſa ſententia exiſteret) commode declinari poſsit. Et hos quidem eouſq; rem perduxiſſe dicebant; ut Lutherus, poſtquam noſtrorum ſententiam ac rationes diligentius inſpectas plenius quàm antehac ab alijs cognouerit, ſe humaniorem multo & magis fidum præbere cœperit, & omnino cupere, ut qui ſenex iam, antea tamẽ papatum primo aggreſſus & aliorum cooperariorum laboribus adiutus diuini uerbi ariete quaſſatum ſubruerit, ipſo quoq; uiuente ſancta & euangelica Chriſti eccleſia in unum eũdemq; ſenſum unanimiter perduci queat. Hoc ergo ipſos (Capitonem nimirum & Bucerũ) enixe precari & precibus ſummis contendere, ut cum fidei Confeſsionem cõſcribere inſtituiſſemus eam ſic temperare ac moderari dignaremur, ut inſtitutæ Concordię ſeruire poſſet: non equidem quod ueritati quicquam derogatum cupiant, ſed ut in eo potiſsimum, qui de Domini Cœna eſt, articulo, ea

uerba

uerba, quæ contentionis materiam præbere poſſent, omitterētur, & negotiū omne citra contentionē pacate cōponeretur cōſcribereturq́. Hoc enim ſi fiat, ſperare ſe Concordiā fœliciter proceſſurā eſſe. Poſtremo illud quoq; ſe omnino orare, ut ſi quando Eccleſiarum uere fidelium inſtitueretur Synodus, Helueticæ quoq; eccleſiæ legatos ſuos eò ablegare non detrectarent.

Et his quidem auditis per Helueticæ eccleſię miniſtros, præſentibus Capitone ſimul & Bucero, Argentinenſis eccleſiæ doctoribus, fidei & doctrinæ noſtræ Confeſsio conſcripta eſt, in qua de Cœnæ negotio inter plures alios articulos ſententiam noſtram expoſuimus, hoc modo: De Cœna uero myſtica ſic docemus: Quod Dominus corpus & ſanguinem ſuū, ideſt, ſeipſum ſuis uere ad hoc offerat, ut magis magisq́ in illis uiuat, & illi in ipſo. Non quod pani & uino corpus & ſanguis Domini uel naturaliter uniantur, uel hic localiter includantur, uel ulla huc carnali præſentia ſtatuantur: ſed quod panis & uinum ex inſtitutione Domini ſymbola ſint, quibus ab ipſo Domino per eccleſiæ miniſterium, uera corporis & ſanguinis eius communicatio, non in periturum uentris cibum, ſed in æternæ uitæ alimoniam exhibeatur. Hoc ſacro cibo idcirco utimur ſæpe, quoniam huius monitu in cruci fixi mortē ſanguinemq́ fidei oculis intuentes &c.

Confeſsio de cœna domini in Concordiæ gratiam conſcripta.

Porrò in Confeſsione hac illud iuris obtinere omnino uoluimus, ut ſi quis uerba noſtra uel mutare, uel in alium quempiam ſenſum (diuerſum ab

eo quem ipſa proprio intellectu accepta præ ſe ferunt, & qui hactenus in eccleſia noſtra ſimpliciter traditus eſt) detorquere conaretur, nobis quoq; tam uerba quàm ſententiam noſtram clarius explicare & exponere liceret.

Synodus Iſenacēſis. Poſtea uero circa Aprilis finem noſtris per literas ab Argentina miſſas nuntiatum eſt, Synodum Iſenaci Thuringiæ oppido ad 14. Maij diem indictam eſſe, in quam & Lutherus & plures alij eccleſiarum, quæ in Saxonia, Heſsia & alijs inferioris Germaniæ partibus ſunt, miniſtri unà cum ſuperioris quoq; Germaniæ eccleſiaſtis conuenire ſtatuerint, ut de uera & ſolida Concordia conſultari poſſit: ſimul autem petebatur, ut & Helueticæ eccleſiæ aliquos è miniſtris ſuis eò ablegare dignarentur. Et cum hęc nuntiarētur, Synodus eccleſiarum, per quas Confeſsio illa Baſileæ ante conſcripta erat, in Heluetijs coacta, et unanimi conſenſu decretum eſt, noſtros tam temporis anguſtia quàm itineris plus ſatis longinquo ſpatio impediri, quo minus in tanta omnium feſtinatione aliquem illuc ablegare poſſent. Porrò, ut tam Luthero quàm alijs illis eccleſiarum miniſtris Helueticæ eccleſiæ doctrina & religio plene & ſolide perſpecta eſſet, à D. Vuolphgango Capitone & Mart. Bucero per literas poſtulatum eſt, ut Confeſsionem noſtram Baſileæ conſcriptam ipſis legendam exhiberent, ſperantes nimirum, ipſos hac lecta & expenſa fideliter nobiſcum poſthac firmam & ſolidam pacem inituros eſſe.

Eodem

Eodem anno menſe Septembri alia Synodus Baſileæ coacta eſt, in quam cum & Capito & Bucerus adueniſſent, multis uerbis retulerunt, ut Iſenaci quidem nemine è doctorum numero inuento, unà cum alijs quibuſdam ſuperioris Germaniæ miniſtris Vuitenbergam uſque profecti ipſum Lutherum cum ſuis conuenerint: ubi amicè inter illos conuentum ſit, et Luthero Confeſſionem illam Baſileæ conſcriptam nequaquã diſplicere. Interim tamen articulos de Domini Cœna ab utriuſq; partis miniſtris Vuitenbergæ ſcriptos & receptos eſſe, in quibus Concordia ſolidè cõſiſtere poſſet, ſiquidem & nos illis ſubſcribere dignaremur. Et hoc quidẽ Helueticæ eccleſiæ facere detrectabant. Nec enim uidere poterant, quod Vuitenbergenſes iſti articuli cum Baſilienſi Confeſſione uerè & ſolidè in ipſa ſententia cõuenirent: in his maximè, quod in primo illo Vuitenbergenſi articulo ſic diceretur: Confitentur, ſentiunt, atque docent, cum pane & uino uere ac ſubſtantialiter adeſſe, exhiberi & ſumi corpus & ſanguinem Chriſti. Item, quod & indignis (ut Paulus ait) Chriſti corpus et ſanguis porrigatur, & quod indigni quoque eadem illa accipiant, ſi Domini inſtitutio & uerba ſeruentur. Hic uero longa & copioſa declaratione articulos hoſce explanare & exponere Bucerus cœpit, cuius tamẽ ſumma huc inclinabat, quod Helueticæ eccleſiæ Confeſſio Baſileæ conſcripta per Vuitenbergenſes iſtos articulos nec infirmaretur, nec euerteretur penitus: ſimiliter, quod nec Dñi noſtri Ieſu Chriſti humani

Articuli Vuitenbergenſes.

tas, nec corporis eiuſdem in cœlos aſcenſio (qui nõ amplius in mundo, hoc eſt, carnaliter, ſed in cœleſti ſua gloria & honore manet) ijſdem illis negaretur: præterea quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus (cũ ſancta illa cœna iuxta ueram Chriſti inſtitutionẽ in eccleſia celebratur & diſtribuitur) per ſeſe ſola fideli mente uere percipiatur ſentiaturq́;, &c. Et licet Heluetica eccleſiæ declarationẽ iſtam Confeſſioni ſuæ (citra ſubſcriptionem tamen) nihil obſtare nec contrariã eſſe iudicarent, nec etiã ſuos miniſtros unquam aliter docuiſſe ſcirent, nihilominus ad omne prauæ ſuſpicionis periculũ declinandũ (quaſi uidelicet in Helueticis eccleſijs de uerbi miniſterio & Sacramentis minus orthodoxe nec iuxta ſcripturæ ſententiã ſentiretur doceretur ue, declaratio quædã de Verbi miniſterio & Sacramentis conſcripta & Luthero tranſmiſſa eſt.

Declaratio de Cœna Domini ad Lutherũ. Ex hac aũt Declaratione ad Lutherũ ſcripta breuem noſtræ ſententiæ de Cœna Dñi ſummam paucis cõprehenſam huc apponemus. Nullũ aliũ uel cibũ uel potum animarum, ad æternæ uitæ acquiſitionem neceſſariũ, q̃ uerum Chriſti corpus & ſanguinem ꝓ nobis in mortẽ traditũ, agnoſcimus. Poſt ipſum enim Dominũ in mortẽ ꝓ nobis traditũ neq; in cœlo neq; in terra aliud eſt, q̃d animas noſtras, imò totũ hominem, in uita conſeruare, cibare & ſatiare poſſit. Interim uero cum ſcripturis ſimul ſacris & uetuſtiſſimis patribus fatemur, Ieſum Dominũ noſtrũ corporaliter ex mũdo hoc abijſſe, ad dextrã Dei patris in cœleſtibus conſidere, nec amplius in

terrenum hunc & periturum mundum detrahi aut deduci poſſe. Quapropter Chriſti in Cœna præſentia (Chriſtum enim Dominum eccleſiæ ſponſum è fidelium cœna non excludimus) cœleſtis, non terrena nec carnalis eſt. In fidelium cœna autem uerũ Chriſti corpus & ſanguis à fidelibus uere editur & bibitur, at non ita crude & carnaliter, ut Papiſtæ hactenus docuerũt (ſubſtantialiter nempe, hoc eſt, corporaliter ſiue carnaliter, pane in carnem & uino in ſanguinẽ uerſo, uel corpore in pane contento) ſed ſpiritualiter, id eſt, ſpirituali modo & mente fideli. Cum ergo fideles Domini cœnã celebrant, & Domini panis ac potus ſenſibus ipſorũ offertur, animi ſui cogitationes non pani aut uino immergunt, quaſi in hoc duntaxat conuenerint, ut pane & uino (quemadmodum domi ſuæ ſolent) ueſcantur, ſed in hoc potius animum ſuum intendunt, cuius memoria externis illis ſignis ipſis offertur & repræſentatur, &c. Et ſic quidẽ in cœna noſtra, quam ab ipſo Domino accepimus, nequaquam nuda ſymbola, panẽ & uinũ ſcilicet, habemus. Qui enim uera fide Domini cœnam accedit, & hac iuxta inſtitutionem ſuam digne fruitur, is promiſſorũ Dei bonorum particeps eſt & redditur, remiſſionis uidelicet peccatotum ac uitæ æternæ, ſed & cum Chriſto & fidelibus cunctis unum corpus eſt. Qui autẽ indigne, id eſt, ſine fide (per quã ſolam Domini & ſalutis efficimur participes) de pane hoc ederit, & poculo biberit, illum ſibi iudicium manducare & bibere ſentimus, ut Paulus ſcripſit in Corinthijs, &c.

Hæc, inquã, in declaratione iſta ad Lutherum datã copioſius & pluribus uerbis expoſita ſunt, ſimul etiam illũ precati & adhortati ſumus, ut hæc boni conſulere & ſe amicum & Chriſtianæ manſuetudinis memorem nobis præbere dignaretur.

Lutherus Cõcordiam non reijcit. His Lutherus per literas anno Domini 1537. ad noſtros tranſmiſſas reſpondit, in quibus de cœnæ & concordiæ negotio inter alia ſic ſcribit: De Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti neq; nos unquam docuimus, nec etiã nunc docemus, ꝙ Chriſtus cœlitus à dextera Dei uiſibiliter aut inuiſibiliter deſcendat uel aſcendat. Fidei articulo cõſtanter inſiſtimus, qui talis eſt: Aſcendit in cœlos, Sedet ad dextrã Dei, unde uenturus, &c. Qua ratione uero aut modo Dñi corpus & ſanguis in cœna nobis offeratur, cum uidelicet iuxta ipſius uerbũ conuenitur et ipſius celebratur inſtitutio, diuinę omnipotentiæ cõmendamus uel relinquimus. Nullius hic uel aſcenſionis uel deſcenſionis mentionem facimus, ſed uerbis ipſius ſimpliciter inhæremus, quæ ſunt: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Veruntamen, ſi hic nondũ plene nos mutuo intellexerimus, illud nũc cõmodiſſimum ac utiliſſimũ ſit, ut nos nobis inuicẽ amicos præbeamus & optima queq; de nobis inuicẽ ſperemus, *donec multis cõtentionib. turbata aqua paulatim ſubſidat, &c.

Biß ſich dz trüb waſſer ſetze.

Ad hæc anno proxime ſequente Maio mẽſe Luthero ab Helueticis eccleſijs denuo reſponſum eſt, quod & ipſæ catholicę fidei articulis inſiſtere & eã, quã in Confeſſione & Declaratione ſua ad ipſum

tranſmiſſa

tranſmiſſa expoſuerint, ſententiã retinere, & in his cum ipſo conuenire uellent, ſperantes nimirũ, Luthero illud nequaquam diſplicere poſſe, ſi præſentiæ modus noſtris eccleſijs cõmodiſſimis uerbis ac rationibus intellectu facillimis exponatur. Simul etiã illud amicè rogabant, ut ſi qd Chriſtianæ concordiæ et fraternę charitati aduerſum ad ipſum deferretur, illi fidẽ minus præbere, et noſtrã quoq; ſententiã æquo animo audire dignaretur. Helueticas enim eccleſias idem facturas & Chriſtianæ concordiæ ac charitatis ſtudiũ prompte & beneuole ſemper ſecuturas eſſe, &c.

Vbi uero hæc peracta ſunt, nihil iam aliud q̃ ueram pacem & concordiam ſolidam de Luthero nobis polliciti ſumus, & ueterũ contentionẽ ac inimicitiarum acerbã memoriam ab utraq; parte ſublatã & abolitã iam eſſe ſperauimus. Interim de Concordia hac cum Luthero inita apud neminẽ mortaliũ aliter diſſeruimus unquam, q̃ ipſa rei ueritas dicere iuſſit, & hactenus breui cõpendio expoſitum eſt: imò concordiæ huic nunquã ita confiſi ſumus, ut rerũ noſtrarũ ſpem ipſi inniti uellemus, nec unquã in eum uſum illã detorquere ſtuduimus, quaſi noſtram doctrinam hoc fuco illinere & uenditare conaremur, quã Dei uerbo cõfirmare & ſimplicitate exornare cõſueuimus. Et cum indigna illa Lutheri ſcripta ac conuitia, quorũ ſupra meminimus, iuſtas cauſas nobis pręberent, propter quas & nos longe alios prębere potuiſſemus, nihilominus tamẽ, cum amicitiam & concordiam nonnulli apud nos am-

birent, omnem amarulentiã animo eijcere & nos amicos planè & faciles præbere dignati ſumus, ſi fortè offendiculum, quod contentiones illæ noſtrę & diſcordię fama iam pepererant, tolli poſſet. Concordiæ ſtudio moti fidei noſtræ Confeſſionē libere & abſq; omni contentionis ſpecie & amarulentia conſcriptam Luthero tranſmiſimus, euidẽter nimirum exponendo in quibus & quo pacto nobis cũ illo conuenire poſſit. Interim non diſſimulabimus Lutherum in poſtremis ſuis ad noſtros literis quoſdam ut ſibi ſuſpectos nonnihil perſtrinxiſſe: quos tamen nihilominus, quantũ poſſet liceretq;, æquanimiter ferre uellet quoad honeſte id fieri poſſet, donec & ipſi propius accederent. Atqui ex poſtremis illis literis facile intellexerat, in qua nã ſententia & eccleſias noſtras & nos ipſos (niſi quis meliora edocuiſſet) perſeuerare inſtitueràmus. Quod ſi ergo Lutherus ſe uel centies potius cremari, q̃ uel nobiſcum uel cum eccleſijs noſtris conuenire: uel ſi Zuinglij, Oecolampadij & noſtram doctrinã ſuo teſtimonio nequaquã approbare, imò eandem nullo modo ferre & admittere: uel ſi neminē mortaliũ quicquã de Concordia aut dicere aut cogitare uolebat: ipſum equidē decebat hunc animũ ſuum erga primam ſtatim Cõfeſſionem noſtram teſtari, & in literis ſuis nullius omnino pacis aut cõcordiæ meminiſſe. Cum uero omne hoc reuera (ut hactenus expoſitum eſt) ab ipſo peractum ſit, neminem certe tam hebetis ingenij eſſe arbitramur, qui nõ uideat, q̃ immerito Lutherus nũc bacchetur & inſaniat, &

quod

quod nos Concordia hac nec gloriati, nec eadē illa (ut Lutherus ſuſpicatur) in aliqua re abuſi ſimus.

Quàm iniquum & hoſtilē Lutherus poſt Concordiæ negotium ſeſe præbuerit.

CVm uero pacem iam ſolidam poſthac fore, & cōuitiandi libidinem ueteresq́ inimicitias in uniuerſum ſublatas & abolitas eſſe ſperamus, ecce nouum librū de patribus & Concilijs anno ꝓximo ſequente Lutherus ſcribit, in quo Zuinglium Neſtorianæ hæreſeos palàm inſimulat, eò quod diuinitatē impaſſibilem eſſe aliquando contra Lutherū contendiſſet. Et quamuis publicum hoc conuitium, & publico ſcripto inſonti & iam uita defuncto intētata calumnia plurimum doloris ac moleſtiæ afferret, nec deeſſent pietatis ſtudioſi homines, qui nos q̃q; publico ſcripto illi occurrere debere arbitrarentur, conditionis tamen eius, quam & noſtri & nos ipſi in ultimis literis Luthero obtuleramus, memores tum fuimus, quæ ſi quid hoſtilius Concordię initę aduerſum fortè eueniat, omne illud amicè ab alterius partis hoībus declinare & lenire iubet. Quapropter à publico ſcripto nobis temperantes priuatas & amicas literas communi omnium Tigurinæ eccleſiæ miniſtrorum nomine ad Lutherū dedimus, quibus illud potiſſimum exponebamus: Vidiſſe nimirum nos librum ipſius de Concilijs et patribus æditum, in quo Zuinglium Neſtorianæ hæreſeos accuſet, & hoc nobis ſingularē animi dolorē peperiſſe: cū uidelicet ignorare non poſſit, imò

Zuinglius Neſtorianæ hæreſis accuſatus.

ex ipſo Zuinglio Marpurgi probe cognouerit, ipſum nihil prorſus cum Neſtorio cõmune habere, nec unquã ſententiæ ipſius fuiſſe ſectatorẽ, nec etiã nunc eſſe. Quibus & illud addebamus, quod Zuinglius uerã & orthodoxã fidem de utraque Chriſti natura in una indiuidua perſona in ſcriptis ſuis contra Neſtorium euidentiſſime cõfeſſus ſit, in primis autem in Cõfeſſione fidei, Carolo Imp. Aug. tranſmiſſa. Zuinglium denique uirum fuiſſe doctum, bonum & integritatis ſtudioſum, ueræ etiam doctrinæ & Chriſtianæ fidei ſectatorẽ. Orare ergo nos, ut ab huiuſmodi cauillis Lutherus abſtinere & meliora de Zuinglio ſibi polliceri uelit. Et hæc quidẽ iuxta ultimi illius pacti conditionẽ, quæ ſi quid alterutri parti in altera diſpliceat, amice & modeſte illud tranſigere iubet, nos ad ipſum ſcribere teſtabamur: ſimul etiam illud precati, ut ſi quid ipſe Lutherus uel in nobis uel in doctrina noſtra (cuius confeſſionem iam olim uiderit) deſyderet, illud ipſum libere proferre, omnes erga nos affectus ſiniſtros ponere, & de nobis ea ſibi, quæ de fratribus, polliceri uelit. Scriptæ ſunt literæ hæ anno 1539. III. Callend. Septemb.

Zuinglius hæreticis et ſeditioſis adnumeratus.

Et hæc quidem amice & humaniter ad Lutherum data epiſtola, nec reſponſionẽ aliquam apud illum mereri, nec quicquã aliud efficere uel impetrare potuit, quàm quod non multo poſt in libelli de precibus contra Turcas faciendis æditi ipſo ſtatim limine Zuinglium inter Catabaptiſtarum & Monetariorum ſeditioſam ſectam medium collocaret,

caret,

caret, hæreſeos accuſaret, & hoc cum primis crimi-
ne nos apud oẽs inuiſos reddere conaretur, quaſi
omnis illa publica Germaniæ calamitas ex nobis
potiſſimum promanaret. Atqui tunc quoque plu-
res pij & honeſti uiri nos nimium faciles & beni-
gnos eſſe iudicabant: hic enim non nos modo pri-
uatim, ſed publicam ueritatis & innocẽtiæ cauſam
ſanctasq; eccleſias periclitari. Nos uero malum bo
no uincere, & licet in ſemel ſuſcepto erga Lutherũ
ſilentio perſeuerare inſtituiſſemus, à ſcribendi tamẽ
& laborandi ſtudio in eccleſiarum ſalutem nequa-
quam abſtinere, modeſtiæ tamen ſemper memores
nullam iniquiorem Lutheri mentionem facere ſtu
debamus. Interea temporis tamen priuatis literis
apud multos quidam noſtratiũ cauſam hanc ege-
runt, in quibus & nos excuſabãt, & de Lutheri in-
iurijs querebantur, hoc unũ orantes, ut humanius
nonnihil & amice magis nobiſcum (utpote Chri-
ſti fidelibus) agere dignarentur.

Dum hęc amice geruntur, denuo Lutherus pro-
rumpit & noſtratiũ cuidam, ciui Tigurino, huiuſ-
modi literas propria manu conſcriptas tranſmittit,
ut ex genio & argumento earum facile conijcere
liceret, ipſum nequaquam ut ſupprimerentur, ſed
ut ad noſtras quoq; omniũ manus peruenirent, uo
luiſſe. Multis enim & ſummis obteſtationibus fa-
tetur, ſe cum Tigurinæ eccleſię miniſtris nihil com
mertij habiturum, illorum libros & opera nec re-
cepturum nec lecturũ eſſe, utpote cum quibus Dei
eccleſiæ nullo modo cõmunicare poſſint: qui mul-

Lutherus omnem Tigurinæ eccleſiæ miniſtris amicitiam & pacẽ abnuit.

tos quidem labores exhauriant, ſed nequicquam, cum iam damnati ſint & perditi. Ipſos deniq; miſeros homines ſecum ad Tartara abducere: Lutherũ ergo damnationis illorum & blaſphemæ doctrinę participare nolle, ſed ab omni ipſorum impietate liberum contra nos & precibus & doctrina pugnaturum eſſe, quoad uita hæc illi ſuperſtes ſit. Simul & Deum orat, ut uel aliquot noſtrûm conuertere, & miſeris eccleſijs opem ferre dignetur, ut falſis huiuſmodi & ſeductorijs doctoribus liberari poſſint. Quibus multa alia contra Zuinglium quoq; abſurde dicta & conuitia accedunt, quibus & doctrinam noſtram (quam uenenum uocat) carpit. Et tales quidem ab illo literas nequaquam expectabamus, cum nulla illi per nos data eſſet tam dira ſcribendi occaſio. Præterea ſi ille aliquid contra nos habebat, maiori certe cum prudentia & laude nobis ipſis, quàm alijs, ea perſcripſiſſet.

Opera Zuinglij cur recognita & denuo excuſa ſint.

Cum ergo quotidiana experientia edocti à Luthero non modo nullam pacis & concordiæ ſpem proficiſci, uerumetiam eundem illum tam eccleſijs noſtris quàm earum miniſtris, Zuinglio, Oecolampadio & nobis omnibus, quæcunq; illi Satan ſuggereret conuitia & crimina impingere uideremus, & noſtrum illud ſilentiũ ac in iniurijs ferendis longanimitas ueritatis negotiũ non modo non proueheret, ſed et plurimũ remoraretur, cõmuni & unanimi omnium noſtrũ, quotquot Tigurinæ eccleſiæ miniſtri ſumus, conſilio, Lutheri calumnijs non ſine ſummi numinis ope & gratia, iunctis omnium

nium uiribus iuſte, modeſte et fortiter occurrere decretum eſt. Et primo quidẽ Zuinglij opera denuo excuſa in lucẽ ædere ſtatuimus: in quoꝝ ædītione omnes & recognoſcendi & transferendi labores Rodolphus Gualtherus Tigurinæ eccleſiæ, quæ apud D. Petrũ eſt miniſter & eccleſiaſtes, frater noſter dilectus, ſua ſponte ſubijt. Hoc uero nõ ut alicui inſultare liberet, ſed in hoc duntaxat facere inſtituimus, ut ſinguli ex Zuinglij libris propria induſtria perdiſcerẽt, ipſum nec hominẽ fuiſſe impiũ & iniuſtũ, nec doctrinã eiuſdẽ, quam in Tigurina eccleſia tradidit, hæreticam eſſe, quemadmodũ Lutherus ſubinde falſò calumniari ſolet. Acceſſerunt his nõ paucorũ è multis nationibus eruditorũ preces, qui oẽs ut Zuinglij opera denuo excuderẽtur, amicè poſtulabant. Nec immerito. Certò enim cõſtat, Zuinglium ſua doctrina falſam religionẽ ſimul & doctrinã ualidiſſime oppugnauiſſe & euertiſſe penitus: è contra aũt uerã fidẽ, honeſtatẽ, religionem ſolide plantauiſſe & euexiſſe, utpote qui in oĩbus Chriſtianę modeſtię ſtudioſior et à cõuitijs alienus magis, q̃ Lutherus ſemper fuerit. Teſtes hic citamus omnes, quibus utriuſq; libros legere contigit.

Dum uero hæc extrema neceſſitate cõpulſi in eccleſiarũ & omniũ noſtrûm, imò ueritatis q̊q; & pietatis, aſſertionem molimur, en nouus Lutheri liber in Geneſim cõſcriptus (quem ſui ſingulare quoddam clenodium, cuius ſimile mundus non uiderit, eſſe iudicant) nobis offertur. In hoc eandem illam in miſeros Suermeros uel fanaticos ferociam

Enarrationes Lutheri in Geneſim.

& rabiem exerceri deprehendimus. Vbi tamen ex ijs, qui hunc præceſſerũt, libris nos in primis notari nõ obſcure cõ.jcere poteramus. Fanaticos aũt & Sacramẽtarios à ueritate defeciſſe, Lutheri acerrimos hoſtes & eccleſiæ turbatores factos Diabolũ iã Dei loco habere dicit: & nunc quidem nos ueritatis uirtute ſtratos ſuccumbere & latere, ut primum uero Lutherus è uiuis exceſſerit, cateruatim prorupturos eſſe, ut hæreſim noſtram longe lateq; ſpargere poſſimus. Hic ergo nouis ſtimulis prouocati non obſcure uidebàmus tam honeſtatem quàm neceſsitatem ipſam iubere, ut uiuente adhuc Luthero pertinax illud ſilentium rumperemus. Nec tamen his omnibus contentus, tandem ultimo hoc libello ſuo, quem breuem Confeſsionẽ inſcripſit, prorumpens omnia quæ antehac inique, abſurde et inhoneſte nimis egit, quaſi obſignat, & omnem ſuam immodeſtiam, qua in eccleſias noſtras, in anteceſſores noſtros & nos ipſos debacchatus eſt ſæpius, in compendium quoddam & breue ſummarium contractam omnibus ſpectandam proponit: ſed & nos uel inuitos & ceu crinibus arreptos in arenam & pugnam protrahit, dum nos qui Tiguri ſumus nominatim perſtringit & notat. Et hæc quidem hactenus de his dixiſſe ſufficiat, quæ in hoc dicta ſunt, ut conſtet tandem, quàm iniquum & hoſtilem Lutherus ab eo tempore quoq; ſe nobis prębuerit, quo Cõcordia inchoata & cœpta eſt.

Lutheri breuis de ſacramento Confeſsio.

Nunc uero uniuerſum hoc Marpurgenſis Colloquij & Concordiæ negotium, unà cum omnibus

bus tam præcedentibus quàm conſequentibus & coniunctis Lutheri geſtis ſcriptisq́ꝫ, præterea noſtrum illud diuturnum ſilentium, noſtrã longanimitatem, noſtra quoqꝫ ſcripta & acta omnia modeſto & ſobrio omnium fidelium iudicio committimus, ut illi nimirum in eccleſia iudicent, nos ne an Lutherus fidelem eccleſiam infeſtet, turbet & oneret: utri etiam pacis ſtudioſiores uel effreni animi libidine ad turbas promptiores fuerint: utri alterius partis homines uel inuitos non ſine aperta ui ad pugnam coegerint, offendiculorũ apud infirmos authores fuerint, qui denique omnis Chriſtianæ modeſtiæ immemores temere & non ſine graui offendiculo in multos tã uiuentes adhuc q̃ uita defunctos deſęuierint hactenus.

TRACTATVS SECVNDVS.

HIS præmiſsis, noſtræ quoq; doctrinæ compendium & Confeſsionem,diuino ſic fauente numine,exponemus,quid uidelicet de ſanctæ & Catholicę fidei articulis,quid etiam de Domini noſtri Cœna ex Dei uerbo unà cum ſancta & Catholica Chriſtianorum eccleſia & credamus & doceamus: atqui hoc modo omnibus notum faciemus, nos eccleſias, quarum miniſterium nobis commiſſum eſt,ita erudire & inſtituere,ut uere Chriſtianos doctores decet,& nihil prorſus uel cum hæreticis uel hæreſibus illorum commune habere. E diuerſo Lutheri quoq; de Cœna Domini fidem et doctrinam quàm probe nimirum illa cum diuina ueritate & ueteris eccleſiæ doctrina cõueniat,examinabimus.

Tigurinæ eccleſiæ miniſtri,non Zuingliani, ſed Chriſtiani ſunt: nec quicquam aliud, q̃ quod ſcripturis traditum eſt, & ex his ueram,ueterẽ & orthoxã fidem credunt ac docent.

PRIMO omnium uero illud fatemur, nos non niſi Chriſtianos & Chriſti diſcipulos, non Zuinglianos, non Oecolampadianos,et multo minus Lutheranos, uel Lutheri diſcipulos eſſe.Nullum enim præter commune illud Chriſtianorum

ſtianorum nomen, ab ipſo Domino & redemptore noſtro deſumptum, nos uel ferre, uel admittere uel amplecti poſſumus: nec etiam eccleſias, quarum miniſtros nos Dominus conſtituit, aliter docere ſolemus. Paulus quippe ad Corinthios ſcribens ſic inquit: Cum unusquiſq; ueſtrum dicit, Ego quidē ſum Pauli, ego uero Apollo, ego uero Cephæ, nónne carnales eſtis? uel num diuiſus eſt Chriſtus? Num Paulus crucifixus eſt pro uobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Et quemadmodum ibidem loci inquit apoſtolus: Quis igitur eſt Paulus? quis autem Apollo? niſi miniſtri per quos crediditis, & ut cuiq; Dominus dedit. Ita nos quoq; tam Zuinglium & Oecolampadium, quàm plures alios, qui primi inter Heluetios Euangelium prædicarunt, Chriſti miniſtros eſſe iudicamus, per quorum miniſterium ueram fidem nobis reuelarit Dominus, & ex Antichriſtianis tenebris in euangelicæ & Chriſtianę ueritatis lucem euocarit. Et quemadmodum Berrhœenſes illi diligenti Biblicarum ſcripturarum lectione & examinatione Pauli doctrinā & ueram & orthodoxam & probatam eſſe inuenerunt: ita nos quoq; Eccleſiaſtis illis noſtris, uel uerbi præconibus, eouſq; fidem habuimus, quoad doctrinam illorum in ſacris quoq; ſcripturis contineri uidimus, & ipſi ſcripturæ teſtimonijs ſuffulti illam tradiderunt. Homines enim illos fuiſſe iudicauimus, & tales hodie quoq; iudicamus, qui citra ſcripturas ſacras falli & errare poſsint. Quapropter fundamentū noſtrum

1. Cor. 1. & 3.

Acto. 17.

omne in nullam carnem ac ſanguinē,ſed in uiuentis Dei uerbum collocamus. Interim uero nos nunquam non amice ſimul ac ut dignum & æquum eſt offerimus, quod ſi quis nos per ſacroſanctæ & Canonicæ ſcripturæ authoritatem meliora & ueriora edocere poterit,illum lubenti & uolenti animo audiemus,illum ſequemur, illius etiam doctrinæ non ſine laude et gratiarum actione locum uolentes dabimus. Abſq; ſcripturis uero, uel contra earundem authoritatem,uel etiam harum teſtimonijs quidem,ſed uiolenter detortis & peruerſis, à uera,ſimplici & apoſtolica fide (diuino freti auxilio & gratia) nos nunquam abduci patiemur.

De ſcriptura canonica.

De ſacroſancta & Canonica ſcriptura in hunc modum credimus & docemus. Sancta ſcriptura Canonica,quæ uera & infallibilis eſt æterni uerbi Dei reuelatio, per ſpiritum ſanctum tradita, & per ſanctos prophetas et electos apoſtolos mundo uel humano generi prędicata & deſcripta,omniū uetuſtiſsima, perfectiſsima & præſtantiſsima doctrina eſt,omne illud abſolute comprehendēs ac docens, q̄d ad ſalutarē Dei cognitionem, ad ueram fidem, ſpem firmam, charitatem nō ſimulatam,ad uerum deniq; Dei cultū, ad uerā et Chriſtianā iuſtitiā, ad uitæ quoq; honeſtę ſanctæ & beatę inſtitutionem, neceſſario requiritur. Et quia Dei uerbum eſt, per ſeſe & in ſeſe abunde ſatis fidei,authoritatis, certitudinis,ueritatis,æſtimationis & perfectionis habet:ita ut non per eccleſiam demum uel humani teſtimonij authoritatem authentica reddi, uel huma

nis

nis traditionibus compleri & abſolui debeat.

Scriptura hæc canonica ueteri & nouo Teſtamento comprehenſa eſt. Veteris Teſtamenti libri ſunt, Moſis Pentateuchus, liber Ioſue & Iudicum, Ruth, libri duo Samuelis & Regum totidem, duo etiam libri Chronicorum, totidem quoq; Eſdræ & Nehemiæ, liber Heſter. His uero & librũ Iob, Pſalterium, & tres libros Solomonis, Prouerbia nimirum, Eccleſiaſten & Cantica adnumeramus: quatuor item prophetas maiores, & minores duodecim. Quotquot uero extra Canonem hunc numerantur, quales ferè ſunt, Thobias, Iudith & alij quidam, nequaquam pari authoritate cum primis illis præditos, nec eodem in pretio habendos eſſe cenſemus: interim tamen eoſdem nec damnamus, nec reijcimus. Nã et olim in eccleſia lecti ſunt, et etiam num hodie, ſi recte & cum iudicio legantur, ſuũ in eccleſia fructũ ferunt. Quod ſi uero alicubi prioribus illis nõ per omnia cõgruere uidebuntur, iuxta illorũ normã & ſententiã dirigi & exponi debent. Noui porrò Teſtamenti libros hoſce numeramus: Euangelium Matthæi, Marci, Lucæ & Apoſtolorũ Acta ab eodem conſcripta, & Ioãnis euangelium. Quatuordecim item Pauli, & ſeptem aliorum apoſtolorũ epiſtolas, unà cũ Reuelatione Ieſu Chriſti, quã Ioãni apoſtolo & Euangeliſtæ exhibuit. In hiſce modo enumeratis noui Teſtamẽti libris nullo loco nodoſiori nos offendimur, nec quicq̃ in illis ſtraminei eſſe ſuſpicamur, & nihil etiã inordinate & cõfuſe mixtũ credimus. Et licet hominũ ſpiritus

Libri Canonicæ ſcripturæ.

f

cum Apocalypſi & alijs nõnullis minus cõuenire poſſit, nos huiuſmodi cõuenientiã nõ multũ moramur. Scimus enim hominũ iudicia ſcripturis, non aũt ſcripturas hominũ iudicijs accõmodandas eſſe.

De interpretatione ſcripturæ. De interpretatione aũt ſacroſanctę ſcripturæ Canonicæ illud ſentimus & docemus, quod nõ ſecundum cuiuſuis hominis ſenſum & opinionẽ, multò minus aũt iuxta uniuſcuiuſq; libidinem, ſed per ſe ipſam & ex ſeipſa iuxta linguarũ proprietates, et diligenti tam antecedentiũ, q̃ coniunctorũ & conſequentiũ, omniũ deniq; circũſtantiarũ conſyderatione, iuxta aliorũ deniq; locorũ, qui uel clariores, uel ſimiles uel cõtrarij uidentur, ſententiã per fidei & charitatis regulã normamq; exponi debeat.

De patrib. Et ſicubi patres, ſacroſanctæ eccleſiæ doctores, ſcripturas hoc modo interpretati ſunt, nec aliquid in hanc modò præſcriptam regulam legẽmue deliquêre, illos non inuiti pro fidis & induſtrijs ſcripturæ interpretibus & eximijs ſancti ſpiritus organis agnoſcimus, quorũ laboribus & induſtria Dominus in eccleſia ad nominis ſui gloriam & fidelium utilitatem uſus eſt. Quapropter illorum contemptores nobis minus probari poſſunt.

De humanis traditionibus. Reliquas uero hominũ doctrinas & traditiões, quocunq; tandẽ ſplendore, fuco, authoritate & uetuſtate cõmendentur, ſi nullis ſcripturarũ teſtimonijs nitantur, præterea à Deo quoq;, à ſcriptura & uera fide abducant, uel in hiſce nos impediant: per omnia uanas & inutiles, inefficaces q̊q;, imò perniciofas & noxias iudicamus: quemadmodum &

ipſe

ipſe Dominus de iiſdem pronunciat, Matth. 15.

Cæterū ſcripturæ huius Canonicæ hic unicus ſcopus eſt & finis, ut omnes omniū gentiū & locorum homines per hanc de Dei gratia, dilectione et fide, de redēptione item, beneficentia et ſalute mundo huic peccatis corruptiſſimo, in Chriſto Ieſu cumulatim exhibita præſtitaq́ꝫ, erudiri & inſtrui poſſint: in primis uero ut ſalutis huius per uerā fidem participes, renati iam & ſancti Dei patris filij facti omniū quoqꝫ bonorū eius hæredes conſtituantur. *Scopus ſcripturæ.*

In Chriſtianæ fidei negotio non aliud uel credimus uel profitemur uel docemus, quàm quod à ſanctis apoſtolis nobis traditū eſt, & quod à Chriſtianis maioribus & parētibus noſtris accepimus. Et illud quidē hactenus conſtanter & fideliter nulla ex parte uiolatū retinuimus, idem nimirū, Chriſti ſic fauente gratia, in poſterum et extremum uitæ noſtræ finem retenturi & confeſſuri, hoc modo: *De fide.*

Credo in unum Deum: patrem omnipotentē, creatorem cœli & terræ. 1

Et in Ieſum Chriſtum, filium eius unigenitum, Dominum noſtrum. 2

Qui cōceptus eſt de ſpiritu ſancto: natus ex Maria uirgine. 3

Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et ſepultus eſt. Deſcendit ad inferos. 4

Tertia die reſurrexit à mortuis. 5

Aſcendit ad cœlos: ſedet ad dexteram Dei, patris omnipotentis. 6

Inde uenturus iudicare uiuos & mortuos. 7

8 Credo in ſpiritum ſanctum.

9 Sanctã eccleſiam catholicã, ſanctorũ cõmunio- (nem.

10 Peccatorum remiſſionem.

11 Carnis reſurrectionem.

12 Et uitam æternam.

De Deo & ſacroſancta trinitate.

1 Et hoc quidẽ ſacroſanctæ, uetuſtiſſimæ & catholicæ fidei noſtræ fundamento innixi, uere ſimul ac euidenter docemus & fatemur, unicũ duntaxat ſanctum, æternũ, omnipotentẽ Dominũ et Deum eſſe, in ſacroſancta indiuiſa & inconfuſa trinitate, Deũ patrẽ, filiũ, & ſpiritum ſanctũ. Et quod quæcũq; in rerũ natura ſunt, tam uiſibilia ꝗ inuiſibilia, à Deo in hominis cõmodum bene & recte condita ſint, & per eundẽ illum conſeruentur ſimul & adminiſtrentur. Quapropter Deus nõ ꝓpter creationẽ modo, uerũetiam quotidianã illam conſeruationẽ, bonitatẽ æternã, miſericordiã, prouidentiam, conſolationem & auxilium, humani generis pater eſt.

De diuinitate Chriſti.

2 Credimus & docemus, Deum patrem nõ poſt creationem modo hominum patrem factum eſſe, ſed quod unus ille Deus & uerus pater ab æterno fuerit, unde & filiũ habeat æternum, unigenitũ, ab æterno ex Deo patre diuino & ineffabili modo progenitum. Credimus & docemus hunc Dei filium ex ſubſtantia patris, & proinde coeſſentialẽ, coæqualem aut conſubſtantialem, eiuſdem inquã cum illo ſubſtantiæ, naturæ, uirtutis, potentiæ, uerum deniq; & naturalem Dominũ atq; Deum ſuper omnia, in omnibus & per omnia eſſe. Filiũ tamẽ pręcipue Dominũ noſtrũ eſſe fatemur, eò quod

nos

nos ex Satanæ dominio, poteſtate & tyrannide libe-
rauit, et nos ſanguine ſuo ꝓ nobis effuſo redēptos
peculiū ſuū fecit: qua de re poſtea pluribus agetur.
Credimus & docemus, quod idē ille Dei filius, 3
qui ab æterno cum patre fuit & eſt, in hoc ſæculo, De huma-
iuxta Dei promiſſionē ꝑ miniſtros & cultores ſuos nitate Chri-
patriarchas & prophetas traditā, uere humanā na- ſti.
turā ex benedictæ uirginis Mariæ, quæ Abrahami
filia & ex Dauidis familia oriunda erat, carne ac
ſanguine aſſumpſerit, & ex illa intemerata & caſta
exiſtente & manente uirgine uerus Deus & homo
(in una indiuiſa perſona, naturis tamē diuinitatis
& humanitatis nō confuſis) natus, hominibus, fra-
tribus ſuis, ꝑ omnia (ſolo peccato excepto) anima
nimirū rationali & immortali & carne mortali, ſi-
milis factus ſit. Et in hunc modū, illum non ex ui-
rili ſemine, ſed è ſancto ſpiritu in caſtæ & interne-
ratæ uirginis utero, ex illius benedicto ſanguine,
uerū & naturalē hominem conceptū, & ex eadem
illa uirgine uerum hominē, mundū tamē et ſan-
ctum, progenitū eſſe, cōfitemur. Omnes enim ho-
mines iuxta naturā ſuam in peccatis & concipiun-
tur, & filij iræ ad mortem naſcuntur. Quo loco
Originale peccatū diſerte confitemur. Nam ſi hu-
manum genus per Chriſtum mūdari, et a peccato
ſimul ac morte liberari et redimi oportebat ueriſſe
erat, ut immaculate & ſancte citra omne peccati
maculam conciperetur naſcereturq́ꝫ, ut nimirum im-
maculatā & mundam hoſtiā pro adultis ſimul et
paruulis ad noſtri purificationem et redemptione
offerre poſſet.

4 Credimus & docemus, quod idē ille Dei & Mariæ filius, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſalutis uiam in terris hiſce, inter ſalutis noſtræ adminiſtrationem, perfecte & abſolute tradiderit: & quod idē ille, ut ſe unicum uitæ et mortis dominũ eſſe, qui ſolus iuuare queat & penes quē auxiliũ omne quæri debeat, certius nobis demonſtraret, omnis generis morbos curauerit, uentorũ mariſq́ꝫ ꝓcellas domuerit, Satanæ potentiã refrenarit, omnē aduerſariam poteſtatē depreſſerit, peccata remiſerit, & mortuos quoqꝫ in uitã reuocarit. Et poſt hæc omnia eundē illum uolentē & ſua ſponte ſe in mortē tradidiſſe, & à Iudæis quidē turpiter & ignominioſe proditũ traditũq́ꝫ, à gentibus uero innocentē crudeli ſupplicio excruciatũ & poſtremo in crucē affixum eſſe credimus. Et hic quidē, hunc Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ, uerũ Deum & hominē, non propter ſe, ſed propter nos & peccata noſtra indignos & graues dolores ſuſtinuiſſe, & in humana natura (utpote quæ mori poterat) reuera mortuũ & ſepultũ eſſe, fatemur. Hanc uero paſſionē ſanctam & innocentis filij dei mortem, unicam, perfectam et æternã coram Deo iuſtitiam et ueram pro totius mundi peccatis ſatiſfactionem eſſe, firmiſſime credimus.

De Chriſti doctrina et operibus.

De morte Chriſti.

Quapropter recto hoc & ſolido huius noſtrę ueræ, indubitatæ et Chriſtianæ fidei argumento inſtruimur nullis humanis uel opibus uel meritis, ſed per ſolam dei gratiam, id eſt, per ſanctã illam crucifixi filij dei paſſionem & innocentē mortem, homines iuſtitiam conſequi, à peccatis mundari, uel

eorundem

eorundem ſatisfactionem aut expiationem impetrare poſſe docemus. Et quod mortis Chriſti, innocentiæ & meriti participes tunc reddamur, cũ Dei filium noſtrũ eſſe, & propter peccata noſtra, ut nos nimirũ iuſtos & beatos redderet, mortem ſubijſſe, uera & cõſtanti fide credimus. Dei gratiã enim, quę in Chriſti paſſione & morte q̃ euidẽtiſſime ſeſe exeruit, nequaq̃ uel contemnere uel annihilare uolumus. Quin illud potius firmiter credimus, q; Chriſti mortẽ palàm reiecturi & annihilaturi eſſemus, ſi purificationẽ, ſalutẽ & iuſtitiã noſtrã ullis alijs medijs, præterq̃ unicæ Chriſti Ieſu paſſioni & redemptioni ipſius ꝑ fidẽ acceptã ferremus: cum uidelicet Paulũ apoſtolũ audiamus, q ſic dicit: Non aſpernor gratiã Dei. Nã ſi per legẽ eſt iuſtitia, igitur Chriſtus fruſtra mortuus eſt, Gal. 2. Et rurſum ca. 3. Si ex lege eſt hæreditas, nõ iã eſt ex promiſſione. Atq Abrahæ per promiſſionẽ donauit Deus. Vnde qui fidẽ habent, cum fideli Abrahã benedictionẽ accipiunt. Quotquot ergo ab Adam primi parentis tempore uſq; ad Chriſti aduentũ apud ueteres ſancti & iuſti facti ſunt, eos per ſolum Ieſum Chriſtum, benedictum illud ſemen, in fide ſanctos & iuſtos factos eſſe ex gratia, credimus & docemus.

De reſurrectione Chriſti.

Credimus itẽ & docemus, quod Ieſus Chriſtus, 5
uerus Deus & homo, eo ipſo corpore, quo in crucẽ ſuſpenſus & inde denuo ablatus & ſepultus fuit, à mortuis reſurrexerit: ſic ut uera ipſius caro & oſſa, id eſt, illud uere humanum ipſius corpus unà cum anima eiuſdem rationali & humana, nõ deificatũ,

Clarifica-tio quid. id eſt, in diuinitatem mutatum, ſed clarificatum duntaxat fuerit. Clarificatio autẽ uere humani corporis proprietates uel ſubſtantiam & formam, nec conſumit nec tollit; ſed ipſum corpus & formam ipſius ab omnibus morbis uel uitijs aut infirmitatibus, utpote metu, terrore, dolore, triſtitia, ſolicitudine, curis, odio, carnali amore, cupiditatibus, gaudio, luctu, affectibus, turbationibus, fame, frigore, æſtu, laſſitudine, omnis generis infirmitatibus & moleſtijs, in primis autẽ mortalitate liberat: è contra uero corpus & formam corporis glorioſam, claram, immortalem & incorruptibilem reddit. Huiuſmodi corpus Paulus glorioſum & ſpirituale dicere cõſueuit: non equidẽ, ꝙ poſthac nõ ſit amplius caro, & in ſpiritũ trãſierit: ſed quod nullis amplius carnis huius moleſtijs obnoxiũ, nec uitijs & infirmitatibus ſubiectũ, incorruptibilitate, immortalitate & infinitis alijs ſpiritualibus donis ornatũ ſit.

Virtus reſurrectiõis Chriſti. Et quemadmodum Chriſti corpus à mortuis reſuſcitatum, uerum corpus manſit, poſthac uero immortale & glorioſum factum eſt; ita omniũ quoq; fidelium corpora in reſurrectione Chriſti Ieſu corpori conformia reddentur: qua de re in undecimo fidei noſtræ articulo plura ſequentur. Glorioſa enim illa à mortuis reſurrectione Dominus euidentiſſime euincit & demonſtrat, quod peccatũ è medio abſtulerit, mortem ex peccati malo promanantem debilitarit, uitam uero reſtituerit, & inferos omnibus ijs qui uera fide ſunt prædití expugnarit, & Satanam potenter deuicerit.

Credimus

Credimus & docemus, quod dominus noſter 6
Ieſus Chriſtus cum eodem illo ſuo à mortuis reſu- *De aſcenſio*
ſcitato uere humano corpore in cœlos aſcenderit, *ne Chriſti.*
nec in terris hiſce poſthac agat corporaliter. Nam
iuxta uere humani corporis naturam & proprieta
tem uno & eodē temporis momento non niſi uno
in loco quoq;, non pluribus ſimul, exiſtit. Cum ue
ro carnem noſtram in cœlos ſubuexit, & ad dexte-
ram patris ſui, id eſt, in æternum gaudium & fœli-
citatem collocauit, certo iam illud fore ſciunt om-
nes fideles, quòd uia cœlorum aperta iam & reclu
ſa ſit, & quod ipſi quoq; per Chriſtum, cui credũt,
anima ſimul & corpore in æternã uitam ſint trãſ-
ferendi. Dominus enim dilucidis & claris uerbis
dixit: Volo pater, ut ubi ego ſum, ibi etiam ſit mi- *Ioan. 17.*
niſter meus. Certa ergo & inconcuſſa carni noſtræ
ſpes fixa eſt, quod cũ Chriſti Domini & fratris no
ſtri caro in cœlis iam habitet et uerſetur, ipſa quoq;
illuc transferenda, & illic iuxta Chriſti promiſſio-
nem, Ioan. 14. locum ſuum habitura ſit.

Præterea ad dextram patris cœleſtis Chriſtus do *De ſeſsione*
minus reſidet, id eſt, is qui uerus Deus & homo eſt *Chriſti ad*
pari potentia & pari gloria cum Deo patre regnat *dextrã pa-*
& imperitat: ita ut omnia ipſius potentiæ ſubiecta *tris.*
ſint, & ipſe unà cum Deo patre & ſancto ſpiritu o-
mnia ſuſtineat ac conſeruet, & uerus atq; æternus
Deus adoretur ſimul & colatur. Ad Dei dextram *Chriſtus*
omniũ fideliũ ſummus pontifex & ſupremus Rex *ſummus fi-*
conſidet. Chriſtus Ieſus omniũ fidelium unicus, *deliũ pon-*
æternus & fidelis pontifex eſt. Omnes fideliũ ſuo- *tifex.*

rum res & cauſas coram Deo patre ſuo cœleſti fi‐deliſſime tranſigit. Huic omnia dona, in primis autem fidelium ſuorum preces immolat. In Dei conſpectu ſemper apparet, pro illis orat ac intercedit, & iiſdem benedicit. Nullum, præter hunc, mediatorem, interceſſorem & ſequeſtrem fideles uel admittũt uel recipiunt. Solus Chriſtus enim uerus ille & unicus fidelium corã Deo mediator & interceſſor eſt. Idem unica illa & æterna eſt uictima, quę ſemel oblata ſemper durat, omnes fideles mundat ſimul & ſanctificat. Idem hic ſummus noſter Pontifex eccleſiam ſuam ſpiritu & uerbo ſuo quotidie docet, doctores quoq; fidos & ſynceros eidem largitur, quos ſimul gratia ſua & donis ampliſſimis inſtruit, & ab omni malo tuetur. AD Dei dextram Chriſtus conſidet, Rex noſter ſupremus, Rex regũ, iudex, ac cœli terræq; potens dominus. Eccleſiam & populum ſuum ſalutaribus & bonis legibus fideliter inſtituit, iuxta quas res ſuas omnes ad Dei & proximi charitatem dirigunt. Hic Rex noſter nos fideliter reſpicit, & omnes noſtras moleſtias fido animo recondit. Fidelium ſuorum omniũ querelas & deſideria beneuolus audit, nec unquam uel defatigatur uel tædio horum moleſtatur. Ipſe deniq; fons ille eſt inexhauſtus, cui quod largiatur nunquam deeſt, qui ſolus ſaturat, nũquam tamen uel decreſcit uel deficit. Hunc nihil prorſus, imò nec hominum cogitationes, latere poſſunt. Iudex eſt uere iuſtus iuxta cordis inſtitutum iudicans, qui tam bonis quàm malis omnẽ quod agunt, citra omnem

Chriſtus ſummus fideliũ rex.

mnem perſonarum reſpectum,retribuit. Oppreſ-
ſis læta & conſolationis plena ope ſuccurrit. Auda
ces uero, arrogantes & potentia ſua ſuperbos iu-
ſto tempore agit præcipites. Nihil prorſus negli-
gir. Sapientia ſua infinita, iuſtis quoque & dignis
medijs ubiq; utitur. Magiſtratus fidos bonosq; ip-
ſe per immenſam ſuam gratiam largitur: eoſdem
ipſe quoq; dirigit & in eccleſia ſua ſuſtentat. E di-
uerſo hypocritis nonnunquam in peccatorum pœ
nam iniquos magnates tribuit. Quid multis? Nuſ
quam non ſuos à uiſibilibus ſimul & inuiſibilibus
hoſtibus tuetur et defendit. Et ad hunc modũ Chri
ſtus ad dei dextrã reſidet, ſic ipſe unicũ fidelis ſui po
puli caput, unicus et ſupremus Pontifex, ſupremus
& æternus Rex & princeps ſuorũ exiſtit. Horum
eccleſiam nunquam deſerit, ſemper in medio illo-
rum uerſatur, ſic ut nullius uicarij officio uel auxi-
lio opus habeat. Ipſe enim unicus & æternus iuſti
tiæ Sol eſt, qui licet in cœlis uno duntaxat in loco
ſit, ſenſibiliter tamen & fructuoſe ſua uirtute, luce,
ſplendore, calore & potẽtia in omnibus fidelibus
operatur. Hic etiam Deum abſq; omni intermiſſio
ne orare, per Chriſtum Ieſum inuocare, et eundem
fidelibus hymnis nunquã non laudare, docemus.

Credimus & docemus, quod ſæculum hoc & 7
mundus hic corruptibilis, qui initium ſuum habet *De aduẽtu*
& à Deo cõditus eſt, finem quoq; ſuum ſortiturus *Chriſti ad*
ſit, & in totum abolendus: & quod in conſumma *iudicium.*
tione mundi Chriſtus Dominus noſter corpore
ſuo, quod uulneratum eſt, in nubibus cœli reuera

uenturus ſit, ad iudicandũ uiuos & mortuos. Cum enim maxima mundi huius pars Antichriſti tyrannidi obnoxia, in ſummo tam Dei quàm uerbi ipſius contemptu, ſecuritate impia, in omni deniq; flagitiorum genere & libidine ſeſe uolutabit, cum uere fideles ridere & perſequi ſtuduerit, filius hominis improuiſo aduẽtu, quaſi fulgur de cœlo in nubibus cum ſanctis angelis ipſius ad iudicium uenturus eſt. Eadem hora per Chriſti potẽtiam & uirtutem quotquot à prima mundi origine uſq; ad ultimum mundi finem mortui fuerint, rediuiui illico reſurgent: reliqui uero qui uita hac nondum defuncti ad nouiſſimi uſq; diei iudiciũ uitæ ſuæ tempus extenderunt, in momẽto temporis ex mortali & corruptibili in immortale & incorruptibile mutabuntur. Et poſtquam omnes homines ex omnibus mundi elementis reſtituti & collecti coram tribunali Ieſu Chriſti conſtiterint, et iudicem ſupra ſe in nubibus cœli corporaliter, in eo nimirum quo paſſus eſt corpore, uiderint, tunc iuſtus ille iudex, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ultimum ſuum iuſtumq; iudiciũ ſuper omnem carnem feret, eo modo & forma, quam ipſe iam olim prædixit, Matth. 25. Tũc itaq; unicuiq; iuxta opera ſua retribuetur. Poſtea, qui fideles ſunt, corpore ſimul et anima per
1. Theſſ. 4 Dei uirtutem & potentiam de terra hac ſurſum (ut Chriſti corpus de monte Oliueti olim ſublatũ eſt) in nubes ſubuehentur ad Chriſtum Dominum, hunc ſequentur, & apud hunc in æterno gaudio ſemper & abſq; omni intermiſſione permanebũt.

Infide-

Infideles uero Satanæ, cuius cultores fuerunt & mancipia, addicendi ſunt, ut tam anima quàm corpore ineffabiles dolores & tormenta in æternum uſq; ſentiant.

De bonis operibus et eorundē retributione.

Et hic quidem, ultimum illud Dei iudiciũ nunquam non ſingulari ſtudio ob oculos ponere, & omni iuſtitiæ boniſq; operibus ſtudere noſtræ fidei creditos docemus. Vt enim clare ſimul & euidenter tradimus, quod nõ per noſtra merita & bona opera, ſed per ſolam Chriſti gratiam in fide, iuſti, ſancti & beati reddamur, ſic ut omnis gloria & honor, ſoli gratiæ Dei & filij ipſius redẽptioni manifeſte & ſimpliciter tribuatur: ita illud quoq; indeſinenter & conſtanter docemus, quod fides hæc in fidelibus efficax ſit, & omnis generis bona opera, iuxta Dei uerbum, operetur. Qui enim iuſtus eſt (quemadmodum fides iuſtos reddit) idem etiam iuſte uiuit & iuſte agit omnia. Et qui Dei uerbo fidem habet, citra omnem dubitationem bonũ eſſe ſentit quod Deus iubet, malum uero, quicquid ille uetat. Sed & fides eundem illum, ut quod malũ eſt deſerat, & bonũ rectumq; perſequatur, urgere conſueuit. Præterea, qui ſalutare illud redẽptionis per fidem negotiũ probe intellexerit, is Deum quoq; & proximum reuera diligit. Charitas autem legis eſt perfectio, imò in dilectione Dei & proximi tota lex & prophetæ pendent. Huiuſmodi opera, ſpiritus & charitatis fructus, uitæ quoq; noſtræ emendationem, & quicquid præter hęc Dei uerbum nobis cõmendat (non ea, quæ homines citra Dei uer

bum ex ſuopte ingenio cõminiſci ſolent) urgemus & docemus ſedulo. Monemus interim, ne qui in Dei pręceptis ambulat & uere bonis opibus diues eſt, ijs quicq̃ tribuat, quaſi ꝓpter illa iuſtus, ſanctus & Deo acceptus ſit. Sola enim Chriſti mors & Dei gratia hominẽ domino Deo noſtro acceptũ, & ad omne bonũ idoneum reddit: imò uniuerſa fideliũ bona opera, non niſi libera quædã ſunt diuinę gratiæ operatio. Quapropter omne illud, q̃d in ſcripturis de pręmio & mercede fideliũ dicitur, Dei gratia & donũ eſſe merito iudicari debet. Vnde & D. Auguſtinus docuit, omnia fideliũ opera bona dei gratiam eſſe, deumq́; ſua merita in fidelibus coronare ornareq́; præmijs, quæ uidelicet pro ſua liberalitate tanquam propria noſtra merita reputat.

8 *De ſpiritu ſancto.* Credimus & docemus, ꝙ ſpiritus ſanctus, tertia ſacroſanctæ trinitatis pſona, cũ patre & filio uerus & æternus Deus ſit: quod & Dominus noſter per ſpiritũ ſanctum nũc in eccleſia ſua regnet & adminiſtret om̃ia, quemadmodũ ipſe dixit: Ego rogabo patrẽ, & alium conſolatorẽ dabit uobis, ut maneat uobiſcũ in æternũ, ſpiritum ueritatis, quem mũdus non poteſt accipere: quia nõ uidet eum, nec nouit eum. Vos aũt cognoſcitis eum, quia apud uos manet, & in uobis erit. Ille uos docebit omnia, & ſuggeret uobis omnia, quęcũq; dixi uobis. Et rurſum: *Ioan.16.* Veritatẽ dico uobis, expedit uobis ut ego uadã. Si enim non abiero, cõſolator ille non ueniet ad uos. Sin aũt abiero, mittã eum ad uos. Et cum uenerit ille, arguet mundũ de peccato, &c. Dominũ ergo noſtrum

ſtrũ in terris hiſce apud eccleſiã ſuam corporaliter nequaq̃ eſſe, ſed per ſuum & patris ſpiritũ in fidelibus ſuis agere & regnare, ipſos deniq; confortare & ſanctificare docemus. Omne ſolatiũ, omnis uirtus, omnis deniq; quę in fidelibus eſt ſanctificatio, Dei ſpiritus eſt. Extra hunc dei ſpiritũ nihil uel ſanctum eſt uel integrũ. Fidem nemo hominum ex ſe habet, ſed tam hæc q̃ omnia alia bona dona, Dei ſpiritus ſunt: quod ipſum Paulus apoſtolus in epiſtolis ſuis multifariam docet, in primis aũt Epheſ. 4. & 1. Corinth. 12.

Credimus & docemus, ꝙ omnes Chriſti fideles, 9
quotquot in toto terrarũ orbe ſunt, unũ corpus & *De Eccle*
eccleſia Chriſti ſint, quam ipſe per ſpiritũ ſuum in *ſia catholi*
ſanguine ſuo ſanctificat. Vnico aũt ſpiritus & fidei *ca.*
uinculo atq; charitate omnes iſti cũ Chriſto ſimul & inter ſe inuicem, ceu unius corporis membra, uniuntur, in primis aũt capitis ſui & ſeruatoris Chriſti gratiæ & donorum participes fiunt. Eccleſia hęc ſancta eſt, ex Dei uerbo generatur, omnia ſecundũ Dei uerbum agit & inſtituit: in Chriſtiana modeſtia & honeſta diſciplina uiuit: ſacroſanctis Chriſti Sacramentis (quæ duo potiſſimum numerantur, Baptiſmus nimirum & Cœna dominica) ubicũq; licet & nulla neceſſitate impeditur, cõmunicat. Ab eccleſia hac nec matrimonij uſum, nec externarum opum poſſeſſionem, nec honeſtorum artificiorum & negotiationũ ſtudia, nec magiſtratuũ ordines, nec dominationes, nec ſeruitutẽ, & quæcunq; alia ſunt huius generis, excludimus.

De peccato & peccati remiſsione.

10 Credimus & docemus, quod per Dei gratiam in Chriſto Ieſu omnia peccata, fidelibus, ſiquidem illa agnouerint, & Deo unico ueroq; confeſſori illa confeſſi fuerint, quouis tempore remittantur aut condonentur. Et hoc quidem ipſiſſimum euangelium eſſe ſentimus. Soli uero infideles, & qui in incredulitate ſua & diffidentia perſeuerãt, ueram peccatorum remiſſionem nunquam poſſunt cõſequi. Peccata quoq; non paria & æqualia, ſed alia alijs grauiora & maiora eſſe docemus, prout cõtra Dei gloriam & dilectionem, contra fidem & proximi charitatem alia alijs uel minus uel magis tendere conſueuerunt. Præterea quicquid contra Dei legẽ, id eſt, uolũtatem & uerbum Dei committitur, peccatum eſſe docemus. Quapropter peccatũ nequaquam Deo omnia operanti acceptum ferimus, ſed originem ipſius in apoſtata Dei & humani generis aduerſario & in corrupta hominis uolũtate demonſtramus.

Rom. indulgentiæ.

Nullas è Roma allatas peccatorũ indulgentias uel iactamus uel commendamus alijs, imò nec ipſi eas in aliquo habemus pretio: quapropter eas nec alijs uendimus, nec ab alijs uenum expoſitas coemimus: non ignari nimirum, peccatorum remiſſionem pro nulla unquam pecunia uel oppignoratam uel redemptã eſſe, & quod Petrus apoſtolus omnes eos unà cum pecunijs ſuis execratus ſit & diris deuouerit, qui Dei dona pecunijs redimi poſſe exiſtimãt.

Act. 8.

Simul etiam omnem Simoniam & Chananaicam in eccleſia nũdinationem ex animo odimus, & conſtanti doctrina profligamus.

mus. Et quoniā nullam, extra Chriſti ſanguinem, peccatorum purgationem uel purificationē agnoſcimus, eos qui uita hac defuncti ſunt, nullo alibi purgatorio igne purgari, ſed uiuis potius eorundē hęredibus ciſtas & loculos per huiuſmodi ſomnia euacuari docemus. Fidelis hominis anima in ipſo mortis articulo cœleſtes beatorum ſedes, infidelis uero inferorum locos petit, ut paulò poſt clarius dicetur. Similiter monaſticæ etiam uitæ nullam prorſus purificationem tribuere ſolemus, quam in alijs quoq; innumeris cum apoſtolica doctrina & religione & contra iuſtam & tranquillam politiæ adminiſtrationem pugnare docemus. *Ignis purgatorius.* *Vita monaſtica.*

Credimus & docemus, quod hæc noſtra corpora, in quibus nunc uel bonum uel malum operamur, & nō alia pro his, à mortuis reſurrectura ſint: Id eſt, Carnem hanc noſtram in nouiſſimo die reſuſcitatam, per Dei potentiam uere reſurrecturam eſſe credimus, & quod animæ defunctorum ad reſuſcitata iam corpora reuerſæ, cum ijſdem denuo uniēdæ ſint, idq; de uniuerſis, tam bonis quàm malis, pronūciamus, Paulum ſcilicet ſecuti, qui inquit: Omnes nos manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti, ut reportet unuſquiſq; ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, ſiue bonū ſiue malum. Veruntamen iuſti iuxta Chriſti capitis ſui exemplar corporibus ſuis glorioſe clarificabuntur, ad incorruptibilitatem nimirum, uitam æternam, & nunquam finiendum ac ineffabile gaudium. Et quemadmodum inter ſtellas cœli aliæ alijs clariores & 11. *De reſurrectione carnis.* 2. Cor. 5.

lucidiores ſunt:ita in mortuorũ etiam reſurrectio-
ne idem continget, ut nimirũ qui in eccleſia & hac
lachrymarũ ualle multa paſſi, in eius quod bonum
eſt, plantatione ac uitiorũ demolitione fideliter la-
borauerunt, præ aliis quoq;, iuxta Danielis uatici-
nium, ſplendeant. E contra uero infideliũ corpora
non quidẽ clarificabũtur, ſed immortalia & incor-
ruptibilia reddentur, ut ad æternos dolores, anxie-
tates & nunq̃ finiendos cruciatus ſufficere poſſint.
Atqui hæc mortuorũ reſurrectio in nouiſſimo die
demũ continget, quando nimirũ Dominus noſter
ad iudicandũ uiuos et mortuos, ut modo diximus,
uenturus eſt.

12 Credimus & docemus, q̀ uitam hanc noſtram æterna & nunq̃ finienda uita ſecutura ſit, quam nimirum Deus à prima ſtatim rerũ origine ex mera ſua gratia humano generi præparauit, & fidelibus in Chriſto eſt pollicitus, quã ſimul uere & fideliter iiſdẽ illis exhibiturus eſt. Vnde cum fidelis è uiuis excedit, anima ipſius in nullũ uel iudiciũ, uel ignẽ, uel doloris alicuius carnificinã abit, nec etiã obdormiſcit (dormire enim non poteſt) nec cum corpore ſimul moritur (immortalis enim eſt) ſed à corpore duntaxat diſcedit, & per Chriſti uirtutem ſuſtentata in æternũ gaudium & beatitudinẽ ſuſcipitur. E contra poſt hanc uitam, æternã mortem quoq;, id eſt, æternam & nunquam finiendam pœnam, æternos cruciatus & dolores uel cõdemnationem à iuſto Deo cunctis infidelibus & pœnitere neſciis hominibus paratam eſſe, docemus; ſic nimirum, ut

De uita æterna.

cum infidelis homo extra Chriſtũ in peccatis ſuis moritur & perit, anima quoq; eius confeſtim à corporea hac morte ad inferos ſimul delata æternis cruciatibus mancipetur. Et licet anima hæc in mortuorum reſurrectione ad corpus ſuum reuerſa, & cum illo rurſus unita fuerit, ſimul tamen cum corpore ſuo & ipſo diabolo à Dei conſpectu in æternam pœnam repelletur: Quemadmodum & fideles in nouiſſimo illo die anima ſimul & corpore in æternum gaudium ſuſcipientur.

Et hæc quidem ſpes noſtra firma eſt, paucis, ſimplicibus & ab omni mendaciorũ fuco alienis uerbis comprehenſa, hæc noſtra expectatio, hoc unicum deſyderium, hoc ſummũ ſolatium, hęc certa fiducia, hęc noſtra deniq; fides & doctrina eſt, quam diuina gratia adiuti bona fide tradimus, quã ſimul in ijs eccleſijs, quarũ miniſtri ſumus, ab ipſo Domino & eccleſijs uocati, indeſinenti ſtudio & diligentia urgemus. Ex his petimus omnes noſtras correptiones, conſolationes admonitionesq́;, quibus apud gregẽ dominicum utimur. Huc omnia noſtra conſilia, omnes ſermones, omnis ſcripturarũ interpretatio, omnes deniq; labores noſtri unice tendũt, hinc ſuam habent originẽ, & in his omne ſuum robur & uirtutẽ obtinent. Teſtes hic citamus, Chriſtũ Ieſum, redemptorẽ noſtrũ, eccleſiæ ſuæ ſanctæ caput, ſummũ noſtrum ſacerdotem, Regem et principem, om̃es quoq; uere Chriſtianas, fideles & honeſtatis amantes animas, quæ aliquã noſtrę doctrinę, noſtrę fidei et omniũ ſtudiorũ noſtrorũ cognitionẽ

aſſecutæ ſunt. Deo itaq; & cauſæ noſtræ ſanctiſſimæ confiſi, hinc iam certo conſtare ſperamus, nos non pertinaces & pœnitere neſcios hæreticos, ſed fidos Domini noſtri cultores & ueros Chriſti fideles eſſe, quorum doctrina & fides, orthodoxa, ſancta, uetuſtiſſima quoq; & indubitata Chriſtianæ eccleſiæ fides ſit.

Tigurinæ eccleſiæ miniſtri, nulla in re cum hæreſibus, ſectis ac falſis doctoribus communicant: ſed in orthodoxa & uera ſanctæ catholicæ eccleſiæ doctrina firmiter perſiſtunt.

QVAMVIS non dubitemus, quin omnibus uera fide præditis, & ab affectuum intemperie alienis hominibus hac noſtra confeſſione, quam hactenus paucis expoſuimus, ſatis factum ſit: quia tamen nouis indies ijsq; grauiſſimis ſuſpiciōibus apud multos premimur, quaſi noua quædam dogmata comminiſcamur, & eadem obtrudamus eccleſijs, ſed & ueritatis doctrinam non pure deprędicemus, quin eandem illam uenenatis & noxijs traditionibus mixtam corrumpamus, utpote qui pluribus iam olim damnatis ſectis communicemus: clarius adhuc & euidentius, diuinæ gratię ductu confiſi, ſententiam noſtrã exponere, explicare, munire, & ab omni falſæ doctrinæ, peruerſæ fidei, hæreticæ labis (quam multi nihil tale meritis nobis aſpergũt) ſuſpicione liberare, noſtram functionem & doctrinam aſſerere, & eccleſiarũ, quibus ſeruimus, honorem, gloriam & innocentiã tueri inſtituimus: illud

etiam

etiã euidẽtiſſime euicturi, quod ueram & orthodoxam catholicæ eccleſię doctrinam, uera & conſtanti fide recipiamus ſimul & doceamus.

Et primo quidem omnes eos hæreſes, hęreticos & ſectas dãnamus, & in uniuerſum pernegamus, quæcunq; in ſancta fidelium eccleſia per ſpiritum ſanctum diuino & infallibili ueritatis uerbo erroris conuictæ, damnatæ & reiectæ ſunt. Et nominatim quidem omnes eos abominamur, qui contra Vetus & Nouum teſtamentum pugnare auſi ſunt, qui uidelicet alios quidem ex ijs libros receperunt, alios uero uel reijcere, uel corrumpere non ſunt ueriti, uel de Biblica ſcriptura minus honorifice ſenſerunt: quales Baſilidem, Carpocratem, Artemonem, Valentinum, Colorbaſum, Cerdonem, Marcionem, & alios huius ſententiæ complures legimus. *Hæretici contra ſcripturam.*

Abominamur prçterea omnes eos, qui de Deo, & cumprimis de diuinæ eſſentiæ unitate, de perſonarum diſtinctione, de ſacroſancta trinitate, aliquid ſacræ ſcripturæ minus conſonum impie uel docuerunt uel ſcripſerunt, quales Praxeas, Sabellius, Photinus & complices horum fuere, qui partim diuinæ eſſentiæ unitatem minus agnouerunt, partim uero ſacroſanctam trinitatem negare auſi ſunt. *Hæreſes contra deũ & Chriſtũ.*

Nihil etiam nobis cum Ario & ijs, qui ex doctrina ipſius poſtea exorti ſunt, utpote Eunomio & alijs, eſt uel ſocietatis uel commercij, qui de diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti falſe & impie do- *Arius.*

cuerunt, filium ſcilicet patri conſubſtantialem, Deum uerum unicum & æternum eſſe negantes. Eodem modo Macedonium quoq;, & omnes cum eo ſpiritus ſancti diuinitatem, quam cum Deo patre & filio reuera habet, oppugnantes & negantes, damnamus & reijcimus. Eam uero & fidem & confeſſionem amplectimur, quam ſancti illi tam Dei quàm eccleſiæ miniſtri ex Dei uerbo, primo quidē Niceæ, deinde uero in Conſtātinopolitana quoq; Synodo, Chriſtiane & orthodoxe contra Arium & Macedonium confeſſi ſunt. Et quia Nicenæ Synodi Symbolum Conſtantinopolitano comprehenſum extat, nos quoque ore ſimul & corde cum ſancta Catholica eccleſia illud fatemur, hoc modo:

Macedonius.

Symbolum Conſtantinop.

1 CREDO in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, uiſibilium omnium et inuiſibilium.

2 Et in unum Dominum, Ieſum Chriſtum, filium Dei unigenitum, ex patre natum ante omnia ſęcula: lumen ex lumine, Deum uerum ex Deo uero, genitum, non factum, conſubſtantialem patri: per quem omnia facta ſunt.

3 Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus, ex ſpiritu ſancto & Maria uirgine homo factus eſt.

4 Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt.

5 Et reſurrexit tertia die, ſecundum ſcripturas.

Et

Et aſcendit in cœlos, & ſedet ad dexteram pa= 6
tris.

Et iterum uenturus eſt cum gloria, iudicare ui- 7
uos & mortuos: cuius regni non erit finis.

Et in ſpiritum ſanctum, Dominum, uiuificato= 8
rem, ex patre procedentem: & cum patre & filio co
adorandum & conglorificandum.

Qui locutus eſt per prophetas in unam Catho- 9
licam & apoſtolicam eccleſiam.

Confiteor unum baptiſma in remiſſionem pec 10
catorum.

Expecto reſurrectionem mortuorum. 11

Et uitam uenturi ſæculi. 12

SIMVL etiam erronea ac falſa Neſtorij & Eu= *Neſtorius.* tychis damnamus dogmata, quorum ille anno poſt natum Chriſtum quadringenteſimo triceſimo indiuiſam Chriſti perſonam (quæ ex duabus diſtinctis naturis coniuncta & unita eſt) ſoluens perſonæ unitatem in duas diuidebat. Mariam enim non Deum, ſed nudum duntaxat hominem peperiſſe contendebat. Quod ſi illi cõceſſum fuiſſet, neceſſario illud quoq; ſequi oportuiſſet, quod Chriſtus in duas perſonas eſſet diuiſus, quarum altera quidem Dei filius, altera autem homo eſſet ex Maria prognatus. Quod ipſum manifeſte falſum eſt. Maria enim illum reuera peperit, qui uerus Deus erat: unde Deum quoque reuera peperit: quamuis interim diuina natura per ſeſe æterna ſit, & ex nulla muliere generari poſſit. Al-

Eutyches. ter uero ille, Eutyches nimirum, in contraria ſententia nimius fuit. Vt enim Chriſtus ſecundum propheticas, euangelicas & apoſtolicas ſcripturas, in una ac indiuiſa perſona duas impermixtas & inconfuſas naturas complectitur: ita ille propter perſonæ unitatem naturas quoque & earundem proprietates confundebat: quaſi uero eò quod Chriſtus una & indiuidua perſona eſt, idcirco diuinitatem ipſam humanitatem quoq; & ſic in Chriſto unam duntaxat naturam eſſe oporteret, unde diuinitatem quoque paſſam eſſe ſequeretur, &c. Vt uero Neſtorius in Synodo eccleſiæ miniſtrorum Epheſi coacta damnatus eſt: ita Eutyches quoque anno humanæ ſalutis 450. reiectus, & à Chriſtianæ eccleſiæ commercio repulſus eſt, in Chalcedonenſe nimirum Synodo, in quam ex uniuerſo Chriſtianorum orbe Chriſti eccleſiarumq; miniſtri, ad controuerſiam hanc dirimendam, conuenerunt. Hi ueræ ac orthodoxæ doctrinæ catholicæq; fidei ſummam, in Epheſina & Chalcedonenſe Synodo receptam & expoſitam ea forma comprehendunt, quam & nos ſimiliter cum ipſis & credimus & docemus, nempe ad hunc modum:

Tolet. Cōc. 1. Si quis di xerit uel crediderit, Deitatem Chriſti con uertibilem fuiſſe uel paſſibilem, anathema ſit.

Ex decreto Synodi Chalcedonenſis.

CONSENTIENTES itaq; ſanctis patribus, unum eundemq; filiū confiteri Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum conſona uoce edocemus, pariter perfectum eundem in deitate Deum, & hominem uerum eundem ex anima rationali & corpore: ſecundum diuinitatem, unius cum patre naturæ: ſecun-

ſecundum humanitatē, eundem unius naturæ nobiſcum, per omnia ſimilē nobis abſq; peccato: ante ſæcula quidem ex patre natum ſecundum diuinitatem: in nouiſſimis uero diebus eundem propter nos & propter noſtram ſalutem hominē factum. Hunc unum eundemq́; Chriſtum, filium Dominum, unigenitum, in duabus naturis inconfuſe, immutabiliter, indiuiſe, inſeparabiliter cognoſcendum (docemus & fatemur) in nullo naturarum differentias propter unitatem perimendas, magis autem ſalua utriuſq; naturæ proprietate & in unam perſonam & in unam ſubſtantiā concurrentē, non in duabus perſonis partiendum uel diuidendum, ſed unum eundemq́; filium, unigenitum, Deum, Verbum, Dominum Ieſum Chriſtum: ſicut ab exordio prophetæ de eo, & ipſe nos erudiuit, & nobis patrum tradidit ſymbolum. His ergo cum omni undiq; diligentia & ſolicitudine à nobis ordinatis ſtatuit ſancta & uniuerſalis Synodus aliam fidem nulli licere profiteri, aut ſcribere, aut docere, aut dicere aliter.

Ad huius uero doctrinæ & Confeſſionis explanationem plurimum facit, quod D. Vigilius Tridentinus epiſcopus et Martyr, qui non multis poſt Synodum hanc annis Chriſtū tam ſcriptis quàm doctrina profeſſus eſt, de Chalcedonenſi hac Synodo lib. 5. contra Eutychem tradidit. Illum, qui uolet, legat. Idem lib. 4. breuem orthodoxæ confeſſionis ac Chriſtianæ doctrinæ ſummam proponens contra Eutychem & complices eius ſic ſcribit; Si

De duabus diſtinctis naturis Chriſti in una perſona.

uerbi & carnis una natura eſt, quomodo cũ uerbũ ubiq; ſit, non ubiq; inuenitur & caro? Nanq; quando in terra fuit, non erat utiq; in cœlo: & nunc quia in cœlo eſt, non eſt utique in terra, & in tantum non eſt, ut ſecundum ipſam Chriſtum ſpectemus uenturum de cœlo, quem ſecundum uerbum nobiſcum eſſe credimus in terra. Igitur ſecundum uos aut uerbum cum carne ſua loco continetur, aut caro cum uerbo ubique eſt, quando una natura contrarium quid & diuerſum non recipit in ſeipſa. Diuerſum eſt autem & longe diſſimile, circumſcribi loco, & ubiq; eſſe: & quia uerbum ubiq; eſt, caro autem eius ubiq; non eſt, apparet unum eundemq; Chriſtum utriuſque eſſe naturæ, & eſſe quidem ubiq; ſecundum naturam diuinitatis ſuæ, & loco contineri ſecundum naturam humanitatis ſuæ: creatum eſſe, & initium non habere: morti ſubiacere, & mori non poſſe: quod unum illi eſt ex natura uerbi, qua Deus eſt, aliud ex natura carnis, qua idem Deus homo eſt. Igitur unus Dei filius, idemq; hominis factus filius, habet initium ex natura carnis ſuæ, & non habet initium ex natura diuinitatis ſuæ: creatus eſt per naturam carnis ſuæ, & non eſt creatus per naturam diuinitatis ſuæ: circumſcribitur loco per naturam carnis ſuæ, & loco non capitur per naturam diuinitatis ſuæ: minor eſt etiam angelis per naturam carnis ſuæ, & æqualis eſt patri ſecundum naturam diuinitatis ſuæ: mortuus eſt natura carnis ſuæ, & non eſt mortuus natura diuinitatis ſuæ. HAEC

EST

EST FIDES ET CONFESSIO CATHOLICA, quam apoſtoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc uſque cuſtodiunt. Et hæc quidem omnia D. Vigilij uerba ſunt, Martyris nimirum ſanctiſſimi, cuius nomen in eccleſia ſemper celeberrimum fuit, adeo ut poſtea quoque in Romana eccleſia dies feſtus, decima quinta Maij ſcilicet, illi dicatus ſit: qua quidem re ipſi in cœlis iam agenti, utpote fideli Chriſti miniſtro, nequaquaquam ſeruiri, nec honor hic illi gratus eſſe poteſt. Vt uero hactenus ueterum & ſanctorum fides expoſita eſt: ita nos quoq; unanimiter credimus & docemus. *D. Vigilius Tridentinus martyr.*

Quæcunque etiam, præter hæc, in alijs fidelium Synodis Symbola, uel fidei articuli conditi & recepti, & ex primis iſtis longe uetuſtiſſimis deſumpti ſunt (utpote Conſtantinopolitanæ quintæ & ſextæ, Toletanæ primæ, quartæ & ſextæ Synodorum ſymbola, & quæcunque eius ſunt generis) pro uere Chriſtianis & orthodoxis agnoſcimus, & ſecundum hæc tam credimus quàm docemus.

Præterea omniũ hæreticorũ & hæreſum doctrinam abnegamus, quæcũq; de peccato & gratia nõ ſecundũ ſcripturæ regulã docuerunt, quæcũq; etiã humanis uiribus nimiũ tribuerunt, uel peccato minus pfecte agnito liberæ Dei gratiæ aliqd derogarũt, ut Pelagius, Cœleſtinus et alij hoꝝ ſimiles facere ſolebãt. In primis uero oĩm eoꝝ doctrinã & traditiones abominamur et reijcimus, q hominẽ nõ p *Hæreſes de gratia et peccato.*

ſolam gratiā in fide Ieſu Chriſti, ſed per ſua quoq; opera, per legē deniq; & propria merita, iuſtitiam & beatitudinem conſequi ſentiunt. Quorum opinionem Paulus Apoſtolus ſingulari uehementia oppugnauit.

Hæreſes cōtra reſurrectionem mortuorū.

Quicunque ueram & perfectam peccatorū remiſſionē ueramq; carnis reſurrectionem fateri dedignantur, ut Nouatus, Valentinus & alij, abominationi nobis ſunt: ut & omnes alij ſupremi numinis contemptores & Epicuri de grege porci, qui de Dei uerbo et lege, de animarum immortalitate, corporum reſurrectione & uenturæ uitæ æternitate, minus digne & honorifice ſentiunt. Huiuſmodi enim, tanquam ἀθέους, irreligioſos & deuotæ impietatis homines abominamur, quoad in huiuſmodi abominandis & execrandis erroribus perſeuerauerint.

Anabaptiſmus.

Sed & Anabaptiſtarū ſectæ Lutherus nos cōnumerat, & in præfatione quadam unum & eundem illorum noſtrumq; ſpiritum eſſe ſcribit. Nos uero coram Deo & eccleſia eius, nobis cum Anabaptiſtis nihil prorſus commercij eſſe, palàm et libere teſtamur. Libri quoq; noſtri cōtra Anabaptiſtas conſcripti & æditi argumento ſunt, Lutherum hic nobis uehementer iniurium eſſe & publicis mendacijs ac obtrectationibus immaniſſimis hoc unum conari, ſi quo modo nos apud omnes inuiſos & exoſos reddere poſſit. Præterea uix aliam præter noſtram eccleſiam dare licebit, quæ tot ac tantis Anabaptiſtarum turbis & tumultibus agitata, ſimul

etiam

etiam per Dei gratiam tam fœliciter ab infœlici il-
la ſecta aſſerta & liberata ſit. Certò enim cognoui-
mus & cum ipſis Anabaptiſtis publice ac priuatim
congreſſi, illorum doctrina et ſecta plurimas uete-
rum hæreſum innnouari inſtaurariq́ꝫ, & multa no
centiſſima dogmata (quæ olim à uere fidelibus ue
ritatis patrocinio damnata & deuicta ſunt) ceu ab
inferis reuocari, claris et ſolidis demonſtrationibus
euicimus. Quapropter aduerſus omnem Anaba-
ptiſmi ſpeciē uigilanti animo excubamus, ut quē
ſingulari abominatione dignum iudicamus, &c.

Adhæc, quæcunque alia ſunt prioribus iſtis con
ſona & conformia Symbola, licet à priuatis eccle-
ſiarum miniſtris, non generalibus Synodis, conſcri
pta & recepta ſint (qualis eſt fidei expoſitio per Ire-
næum tradita, Tertulliani item, Cyrilli, Hierony-
mi & aliorum doctorum, qui Chriſtianam & or-
thodoxam doctrinam ſecuti ſunt, ſymbola) agno-
ſcimus, & nullo modo reijcienda cenſemus. Quin
tam illa, quàm aliorum Symbola hoc loco in duo
potiſſimum redigemus, id eſt, duo ex omnibus eli-
gemus, quibus reliqua omnia comprehenſa ſunt,
Athanaſij nimirum & Damaſi. Duo enim iſti cele
bres & eximij Chriſti atq; eccleſiarum miniſtri ſuo
ſæculo extiterunt. Prior Græcus in Oriente floruit, *Athana-*
magnis & diris perſecutionibus pro Chriſtiana & *ſius.*
orthodoxa doctrina agitatus, cum interim, ut He-
lias propheta olim, Chriſti (cuius gloriā & hono-
rem aſſerebat) gratia animatus firma & incōcuſſa
mente perſeuerauerit. Alter Latinus fuit in Occi-

dente celebris, Romanæ eccleſiæ doctor & miniſter. Athanaſij ſymbolũ in eccleſijs publice lectum

Damaſus & ſemper in pretio eſt habitum. In Damaſi doctrina & fidei confeſſione Gratianus, Valentinianus & Theodoſius Imppp. Auggg. edictum illud ſuũ de uera & falſa doctrina, de Chriſti fidelibus & hæreticis æditum fundauerunt: illos nimirũ Chriſtianos & uere fideles eſſe confeſſi, qui eam fidem, quam Damaſus confeſſus eſt et docuit, retinuerint: è contra uero nõ uere fideles ſed hæreticos eſſe, qui ſecus uel credant uel doceant. Qui ergo Tiguri ſumus ita & docemus & credimus, quemadmodum ante nos Athanaſius & Damaſus crediderunt docueruntq́, nempe hoc modo:

Symbolum Athanaſij.

QVICVNQVE uult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat catholicam fidem:

Quam niſi quis integram inuiolatamq́ ſeruauerit, abſq; dubio in æternum peribit.

1 Fides autem catholica hæc eſt, ut unum Deum
2 in Trinitate, & Trinitatem in unitate ueneremur.
3 Neq; confundentes perſonas, neq; ſubſtantiam ſeparantes.

Alia eſt enim perſona patris, alia filij, alia ſpiritus ſancti.

Sed patris & filij & ſpiritus ſancti una eſt diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas.

Qualis pater talis filius, talis ſpiritus ſanctus.

Increatus pater, increatus filius, increatus ſpiritus ſanctus.

Immenſus pater, immenſus filius, immenſus ſpiritus ſanctus.

Aeternus

Aeternus pater, æternus filius, æternus ſpiritus ſanctus.

Et tamen non tres æterni, ſed unus æternus.

Sicut nõ tres increati, nec tres immenſi, ſed unus increatus, & unus immenſus.

Similiter omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens ſpiritus ſanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, ſed unus omnipotens.

Ita Deus pater, Deus filius, deus ſpiritus ſanctus.

Et tamen non tres Dij, ſed unus eſt Deus.

Ita Dominus pater, Dominus filius, Dominus ſpiritus ſanctus.

Et tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus.

Quia ſicut ſingillatim unamquanq; perſonam Deum aut Dominum confiteri Chriſtiana ueritate compellimur:

Ita tres Deos ac Dominos dicere catholica religione prohibemur.

Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.

Filius à patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.

Spiritus ſanctus à patre & filio, non factus, nec creatus, ſed procedens.

Vnus ergo pater, nõ tres patres: unus filius, non tres filij: unus ſpiritus ſanctus, non tres ſpiritus ſancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus.

Sed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt et coæquales.

Ita ut per omnia, ſicut iam dictum eſt, & unitas in trinitate, & trinitas in unitate ueneranda ſit.

Qui uult ergo ſaluus eſſe, ita de trinitate ſentiat.

SED neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut incarnationem quoq; Domini noſtri, Ieſu Chriſti, fideliter credat.

Eſt ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Dei filius, Deus & homo eſt.

Deus eſt, ex ſubſtantia patris ante ſæcula genitus: & homo, ex ſubſtantia matris in ſæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens.

Aequalis patri ſecundum diuinitatem, minor patre ſecundum humanitatem.

Qui licet Deus ſit & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Vnus autem, non cōuerſione diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum.

Vnus omnino, non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.

Nam ſicut anima rationalis et caro, unus eſt homo, ita Deus & homo, unus eſt Chriſtus.

4 Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad in- (feros.

5 Tertia die reſurrexit à mortuis.

6 Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram patris omnipotentis.

7 Inde uenturus eſt iudicare uiuos & mortuos.

Ad

Ad cuius aduentum omnes homines reſurgent 11
cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis pro
prijs rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in uitam æternam: 12
qui uero mala, in ignem æternum.

Hæc eſt fides catholica, quã niſi quiſque fideliter
firmiterq́ue crediderit, ſaluus eſſe non poterit.

Et hęc quidẽ fidei confeſſio eſt per ſanctum Dei
& eccleſiæ miniſtrum Athanaſium conſcripta, qua
non quæ ſua duntaxat fides & doctrina fuerit, ſed
quid uniuerſus omnium fidelium cœtus ab ipſa
apoſtolorum prædicatione ad ſua uſque tempora &
deinceps uere & orthodoxe crediderit, profitetur.
Huic uero D. Damaſi epiſcopi ſymbolũ coniunge
mus, qui & ipſe non ſuã modo, ſed totius eccleſiæ
catholicæ fidem confitetur, ſic inquiens:

CREDIMVS in unũ Deum, patrem omnipo- 1 *Symbolum Damaſi.*
tentem: et in unum Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ, 2
filium Dei: & in ſpiritum ſanctum: Deum, nõ tres 3
Deos, ſed patrem & filium & ſpiritum ſanctum,
unum Deum colimus & confitemur: non ſic unũ
Deum, quaſi ſolitariũ: nec eundem, qui ipſe ſibi pa-
ter ſit, ipſe & filius: ſed patrem eſſe, qui genuit: & fi
lium eſſe, qui genitus ſit: ſpiritum uero ſanctũ, non
genitũ, neque ingenitum, non creatum neque factum,
ſed de patre filioq́ue procedentem, patri & filio coæ
ternum & coæqualẽ & cooperatorem: quia ſcriptũ
eſt: Verbo Dñi cœli firmati ſunt, id eſt, à filio Dei: & *Pſal. 33.*
ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum. Et alibi: Emit *Pſal. 104.*
te ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis fa-

ciem terræ. Ideoq; in nomine patris & filij & ſpiri-
tus ſancti unum confitemur Deum, quod nomen
eſt poteſtatis, non proprietatis. Proprium nomen
eſt patri, pater: & proprium nomen eſt filio, filius:
& proprium nomen ſpiritui ſancto, ſpiritus ſan-
ctus. In hac trinitate unum Deum colimus, quia
ex uno patre quod eſt, unius cum patre naturæ eſt,
unius ſubſtantiæ, & unius poteſtatis. Pater filium
genuit, non uoluntate, nec neceſſitate, ſed natu-
ra. Filius ultimo tempore ad nos ſaluandos, &
ad implendas ſcripturas deſcendit à patre, qui nun
3 quam deſijt eſſe cum patre. Et conceptus eſt de
ſpiritu ſancto, & natus ex uirgine, carnem & ani-
mam & ſenſum, hoc eſt, perfectum ſuſcepit ho-
minem: nec amiſit quod erat, ſed cœpit eſſe quod
non erat: ita tamen, ut perfectus in ſuis ſit, & ue-
rus in noſtris. Nam qui Deus erat, homo na-
tus eſt: & qui homo natus eſt, operatur ut Deus:
& qui operatur ut Deus, ut homo moritur: &
4 qui ut homo moritur, ut Deus reſurgit. Qui de-
uicto mortis imperio, cum ea carne, qua natus
5 & paſſus & mortuus fuerat & reſurrexit, aſcen-
6 dit ad patrem, ſedetq; ad dexteram eius in gloria,
9 quam ſemper habuit, & habet. In huius morte
& ſanguine credimus emundatos nos, & ab eo
11 reſuſcitãdos die nouiſſimo in hac carne, qua nunc
12 uiuimus: et habemus ſpem nos conſecuturos præ-
mium boni meriti, aut pœnam pro peccatis æterni
ſupplicij. Hæc lege, hæc crede, hæc retine: huic fidei
animam

animam tuam ſubiuga, & uitam conſequeris & præmium à Chriſto.

Hactenus Chriſtianæ fidei ſymbola uel capita primaria, quæ ad ſalutem neceſſario requiri ſolent, prolixe & copioſe ſatis expoſuimus: & primo quidem generalia illa catholicæ eccleſiæ ſymbola, quę per eccleſiarum miniſtros ex uniuerſo Chriſtiani orbis circuitu congregatos conſcripta ſunt, adducere libuit: deinde priuata quædam aliorum ſanctorum et uere fidelium eccleſiæ miniſtrorum ſymbola ſubiunximus, qui & ipſi non ſuam modo, ſed catholicæ eccleſiæ communem fidem profeſſi ſunt. Præterea breui quadam adumbratione omnis generis hæreſum & hæreticorum mentionem fecimus, qui ueram fidem oppugnare & (quantum in ipſis fuit) corrumpere, & ſanctam catholicam eccleſiam turbare & affligere ſtuduerunt: contra quorum temeritatem, corruptam & impiam doctrinam ac fœdos errores, Symbola hæc (quorum modo meminimus) ad ueritatis ſubſidium conſcripta & concinnata ſunt.

Cum uero nos, qui Tiguri & in Heluetijs uerſamur, omnes iſtos hęreticos ſimul et hæreſes abominemur et reijciamus, utpote cũ quibus nihil unquã nobis uel cõmercij uel cõmunionis unquã fuerit, nec etiamnum ſit, quin potius doctrinã illorum execremur penitus, è cõtra uero Chriſtianæ eccleſię (cum qua idem & ſentimus & docemus) fidem & cõfeſſionem retineamus firmiter, ſperamus equidem firmis & certis rationibus hactenus demon-

ſtratum & euictum eſſe, quod nos, qui uel Tiguri uel intra uel extra Heluetiæ limites hanc doctrinam & confeſſionem tenemus & ſequimur, Chriſtiani, nõ hæretici, ſimus, imò quod nihil nobis uel rei uel negotij cum aliqua hæreſi intercedat. Porrò eam nos & doctrinã & fidem ſequi, Chriſtus eccleſiæ caput (ut ſupra quoq; annotatũ eſt) & tota eccleſia teſtari poterit: ſimul etiam hac noſtra cõfeſſione omnem hanc doctrinam omnesq; eiuſdem articulos palàm & libere confitemur.

Tigurinæ eccleſiæ miniſtri omnes & ſingulos Chriſtianæ fidei articulos recipiunt: & num Lutheri de Sacramento dogma, fidei articulus cenſeri debeat.

Lutherus nos nulli fidei articulo credere dicit.

QVapropter, licet Lutherus, ut apud omnes fideles quàm maxime nos inuiſos & exoſos reddere poſſit, eius criminis nos accuſet, quod ne uni quidem ueræ & Chriſtianæ fidei articulo uere & ex animo credamus, nec fidem nobis habendam eſſe ſcribat, etiamſi nos eum qui de Chriſti perſona eſt articulũ amplecti & illi credere fateamur (nos enim certo mentiri, quicquid tandem de his pronunciauerimus: & ore quidem, ut & diabolus olim in euangelica hiſtoria, Chriſtum dei filium eſſe dicere, animum uero à confeſſione hac certo certius longiſſime abeſſe) illud tamen cunctis Chriſti fidelibus notum & perſuaſum eſſe uolumus, quod hoc à Luthero nobis intentatum crimen, imò conuicium, non quicquam aliud, quàm falſa, improba & ex mera animi libidine profecta calumnia ſit, qua

noſtrum

noſtrum honorem & cauſam, fidem autem cum-
primis (quam ſummã noſtram gloriam & famam
eſſe agnoſcimus) ſuſpectam reddere & obfuſcare
conatur. Quamobrem non immerito ea de re co-
ram Deo ſimul & cunctis fidelibus ſummopere
conquerimur: & ſanè effrenem illam Lutheri libi-
dinem, qua contra nos furit & æſtuat, multò acer-
bius ac ſeuerius accuſare corripereq́ poſſemus, niſi
diuini numinis reuerentia moti animorũ noſtrorũ
affectibus reſiſtere, et ſanctorum pacificorumq́ ho
minum auribus parcere ſtuderemus. Nos enim in
Chriſtũ credere certò cognouimus, & fidei huius
infallibilem in nobis ipſis ſentimus uirtutem. Te-
ſtem habemus hic ipſum Chriſtum, qui in nouiſſi-
mo illo iudicio ſuo noſtram fidem contra omnes,
qui nos incredulitatis & diffidentiæ inſimulant, co
ram patre ſuo certò aſſeret. Ea & tam immani iræ
& odij præcipitantia in nos fertur Lutherus, ut in
Dei quoq; iudiciũ temerarias manus inijciens ani-
mos noſtros iudicare non uereatur: cum ſolus &
unicus Deus animorum inquiſitor & ſcrutator ſit.
Vbi uero Dei cõſilio Lutherus interfuit? Vel quan-
do diuinæ ſapientiæ per omnia penetrantes oculi
ipſi traditi ſunt, ut animos noſtros tam exacte inſpi
cere potuerit, & nunc per uniuerſum orbẽ quid in
hiſce reconditũ lateat quidq́ ipſe inibi uiderit, ebuc
cinare et promulgare queat? Quod nimirũ non cre
damus Chriſto Ieſu, nec ipſum Deũ & hominẽ in
una perſona agnoſcamus? Item, quod certò cõſtet,
nos non aliter Chriſtũ confiteri, ꝙ diaboli olim in

euangelica hiſtoria illum confeſſi ſint? Videte quæſo ô ſancti Chriſti fideles, quò tandē inſaniæ odij & contentionis æſtu infœlix homo abripiatur? ſimulq; inſpicite, quali nam argumento temerariū illud ſuum iudiciū ſtabiliri poſſe exiſtimet. Qui uni alicui, inquit, articulo fidem non habet, nec illum admittere dignatur, poſtquam admonitus & inſtitutus eſt, is certe nulli prorſus uere & ex animo fidem habet. Quo autē & quàm firmo ueritatis fundamento hoc ipſius dictū nitatur, ipſi demonſtrandum & probandum, uel etiam excuſandū relinquimus. Nos uero in hac cauſa ad hunc modū reſpondemus: Licet uere hoc dici cōcedamus, eū uidelicet, nulli prorſus fidei articulo digne credere, qui uni alicui fidē nō habet, uel in uno aliquo laborat: nulli tamen fidei articuli ſunt, ex omniū eorū numero, qui unquā in ueteri & uere catholica ſanctorū eccleſia pro fidei articulis recepti ſunt, quos non nos quoque omnes & ſingulos uere & conſtanter amplectamur & ijs religioſe credamus. Lutherus certe nullū unquam ueterē fidei articulū proferre poterit, de quo nos aliter, quàm dignum eſt, ſentiamus uel doceamus. Hæc ergo cōtra nos prolata ſententia, nequaquā ſolida quædam et iuſta ſententia, ſed falſa quædam, maligna & quam effrenis animi libido expuit, calumnia eſt, quam ueris & ſolidis rationibus, ut Chriſtianos homines decet, à ceruicibus noſtris excuſſimus.

Quod de corporali

Quod ſi dicat hunc etiam fidei articulū eſſe, ut nimirum panē, qui in Cœna eſt, uerum et naturale

Chriſti

Chriſti corpus reuera & corporaliter eſſe creda- mus:iam nemo non fidelium illud nouit & intelli git,huius articuli nullam prorſus, nec inter duode cim illos ueræ & orthodoxæ fidei articulos, nec in ullis aliĳs orthodoxis ueterum eccleſiarum ſymbo lis, mentionem fieri. Conſtantinopolitanum qui- dem baptiſmi meminit, huius uero articuli nequa- quam. Qua ratione uero extra fidei articulorũ tra- ctationem in Cyrilli ad Neſtoriũ epiſtola, quæ ex Epheſina ſynodo ſcripta & miſſa eſt, & inter alia Nicenæ ſynodi decreta uel ſtatuta, Dominicæ Cœ næ mentio fiat, Oecolampadius P. M. non ſemel abunde ſatis expoſuit, & etiamnũ huius expoſitio & ratio in libris ab ipſo conſcriptis extat. Interim uero nouos fidei articulos condere, nec Pontifici nec Luthero permiſſum eſt.

Chriſti in Sacramento præſentia docetur, fidei articulus non eſt.

Rurſum, ſi Lutherus non ĳs modo, quæ duode cim illis fidei articulis & multorũ aliorũ ſymbolis cõtinentur, ſed omnibus ĳs quoq; quæ in ſcriptura ſacra docentur, præſcribũtur & eius teſtimonio con firmata ſunt, fidẽ neceſſario habendã eſſe dixerit: ni hil equidẽ ipſi hoc loco cõtradicimus. Scripturã enĩ ſpiritus ſancti inſpirationẽ eſſe cõſtat. Quę uero il- lius de Cœna Dñi doctrina ſit uel traditio, ſequẽtia clarius exponent: ea nimirũ, quæ hiſce manifeſtis et expreſſis fidei articulis nullo modo cõtraria exiſtit.

Illud uero nõ in ſymbolis modo oĩbus, uerum= etiã in omni ſcriptura unanimiter definitũ, et firma atq; indubitata fide à catholica fideliũ eccleſia ſem per receptũ & retentũ eſt, quod illud ipſum corpus

De ueritate corporis Chriſti re- ſuſcitati, orthodoxæ fidei ſentẽtia

Chriſti, quod è uirgine natum, & poſtea in crucem affixum, in cruce mortuum, & inde ablatum in ſepulchrum depoſitū eſt, illud ipſum (inquam) corpus & non aliud (quod iccirco quoq; clauorum et uulnerum ueſtigia retinuit) à mortuis reſurrexerit, & aſcenderit in cœlos, ubi nunc quoq; ad dextram Dei reſidet. Et quod idem illud, non mutatum in aliud, tam ſubſtantiam quàm formam ueri & humani corporis retineat, clarificatum tamen, ſic nimirū, ut humanitas nec exinanita, nec abiecta, nec in diuinitatem conuerſa, nec ullo alio modo ſuis illis proprietatibus orbata uel ſpoliata ſit. Veri autē & humani corporis, licet clarificati, propria ſunt, formam & figuram, carnem & oſſa habere, nō ſpiritum eſſe, loco certo contineri, & non ſimul pluribus in locis eſſe, &c, quemadmodū ſupra in Symboli expoſitione annotatū eſt. Et omnia hæc Euangelica quoq; ueritas reſuſcitato & clarificato corpori tribuit. Dominum enim, poſtquam à mortuis re-

Ioan.20. & 21. ſurrexit, ſua illa & ſolita forma ſeſe diſcipulis exhibuiſſe, & illos eundem ex uulnerum cicatricibus agnouiſſe, ſic ut à nemine interrogaretur num is eſſet, legimus. Et angelus mulieribus Chriſtum in ſepulchro quærentibus ait: Videte locum ubi poſitus erat. Surrexit, & nō eſt hic. Et cum diſcipuli primo quidem ipſum uel ſpiritum uel phātaſma eſſe

Luc.24. putarent, dicit illis: Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum. Contrectate me, & uidete, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me uidetis habere. Et cum hæc dixiſſet, oſtendit eis manus

nus

nus & pedes. Præterea Dominus in euangelio ex- preſſis uerbis ſic ait: Si abiero ad parandum uobis LOCVM (τὸν τόπον) iterum ueniam, & aſſumam uos ad meipſum, ut ubi ego ſum, & uos ſitis. Idem diſcipulos quoq; in Galilæam præceſſit. Ex Gali- læa in Bethaniã rurſum abijt. Hinc diſcipulos ſuos eduxit in montem Oliueti: & ab huius cacumine in cœlos aſcendit, & nubes abſtulit eum ab oculis illorum. Hiſce ueris et ſolidis rationibus ex ipſa ue ritate deſumptis innixi fideles, ea, quæ ſupra expo- ſuimus, Symbola conſcripſerunt. *Ioan.14.*

Quamuis uero hæc per ſeſe abũde ſatis clara & ſolida ſint, nec ullo humano teſtimonio ac conſen ſu uel ueriora uel firmiora reddi poſſunt (cum ui- delicet ſcriptura per ſeſe ipſiſſima ſit ueritas, & fidẽ certò mereatur) hiſce tamen ad pleniorem ſcriptu- ræ ſacræ declarationem & cauſæ huius ueritatem euidentius explicandam, duo adhuc ſanctiſſimo- rum Chriſti ſimul & eccleſiæ miniſtrorum de clari ficati corporis ueritate teſtimonia attexere inſtitui- mus, ut inde quoq; conſtet, qualem de uero Chri- ſti corpore in cœlis iam agẽte fidem & doctrinam ueteres ſecuti ſint.

D. Hieronymus ſuam, id eſt, ueram ac Chriſtia- nam fidem, fatetur hoc modo: Chriſtus aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Dei patris, manente ea natura carnis, in qua natus & paſſus eſt, in qua etiã reſurrexit. Nõ enim exinanita eſt humanitatis ſub ſtantia, ſed glorificata, & in æternum cum deitate manſura, &c. Qui autem plura ex Hieronymo ſu- *Hieron. de ueritate corporis Chriſti in cœlis.*

per hac re ſcire uolet, ea legat quæ ad Pāmachium de corporum reſurrectione contra Ioannem Hieroſolymitanum epiſcopum diſputauit.

D. Auguſtinus de ueritate corporis Chriſti in cœlis.

D. Aurel. Auguſtinus epiſtola ad Dardanū 57. ſic ait: Noli dubitare, ibi nunc eſſe hominem Chriſtum Ieſum, unde uenturus eſt, memoriterq́ recole & fideliter tene Chriſtianam confeſſionem, quoniam reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram patris, nec aliunde quàm inde uenturus eſt ad uiuos mortuosq́ iudicandos. Et ſic uenturus eſt illa angelica uoce teſtante, quemadmodū ire uiſus eſt in cœlum, id eſt, in eadem carnis forma atq; ſubſtantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. Secundū hanc formam non eſt putandus ubiq; diffuſus. Cauendum eſt enim, ne ita diuinitatem aſtruamus hominis (Chriſti uidelicet) ut ueritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens, ut quod in Deo eſt, ita ſit ubiq; ut Deus. Nam & de nobis ueraciſſima ſcriptura dicit, quod in illo uiuimus, mouemur & ſumus, nec tamen, ſicut ille, ubiq; ſumus: ſed aliter homo ille in Deo, quoniā aliter & Deus ille in homine, proprio quodam & ſingulari modo. Vna enim perſona Deus & homo eſt, & utrunq; eſt unus Chriſtus Ieſus, ubiq; per id quod Deus eſt, in cœlo autē per id quod homo. Hæc Auguſtinus. Poſſemus & alia huius generis q̄ plurima adducere ex alijs quoque ſanctis Chriſti & eccleſiæ miniſtris, ut Leone ad Flauianum, item ad Leonem Cæſarem Aug. Prætærea ex tribus Fulgentij libris ad Traſimundum

regem cōſcriptis, & ex quinq; libris D. Vigilij epiſcopi & martyris: qui omnes non ſuas modo opiniones, ſed totius Chriſtianæ eccleſiæ fidem confeſſi & tutati ſunt. Quapropter nunquam fore ſperamus, ut Lutherus hæc negare inſtituat. Quod ſi his omnibus contradicere eaq; contemnere uelit, Dei uindicta illum urgeri nemo non uidet: quod nimirum pertinaciæ & arrogantiæ ſtimulis agitatus illis ſeſe polluere et implicare inſtituit, quorum nos hactenus inſimulare conſueuit, quaſi uidelicet aliquid Chriſtianæ fidei articulis & ueritati contrarium agamus.

Quoniam uero hæc aliter ſeſe habere non poſſunt, & expreſſi illi ſanctæ Chriſtianæ fidei articuli Chriſtum in gloria quoq; uerum hominem manere, nec humanitati ſuæ quæ illi propria ſunt ademiſſe, & proinde corpus ipſius non niſi uno in loco, non ubiq; ſimul eſſe poſſe, manifeſte teſtentur: intelligunt nimirum fideles omnes, quàm probe illud fidei articulis cōueniat, quod quidam credendum eſſe docent, quod uerum & naturale Chriſti corpus in terris hiſce agat, & uno eodemq; temporis momento corporaliter prorſus & uere in omnibus locis præſens ſit, omnium deniq; manibus & labijs contineatur, qui Domini panem frangūt & manducant. Vt interim de eo hic nihil dicamus, quod huiuſmodi dogma, tam claris, dilucidis & ſalutaribus catholicæ fidei articulis contrarium, pro fidei (quæ nihil in ſeſe repugnās, & contradictoriū continet) articulo à fidelibus recipiendū eſſe non-

nulli contendunt.

Cæterũ, quia in fidei articulis & omnibus Symbolis (quorum potiſſima hactenus recenſuimus) de uera & corporali naturalis corporis Dominici in cœna præſentia, nihil plene & abſolute definitum, decretum uel traditum eſt, nec nos etiam noſtram de Dominica cœna doctrinam hactenus ordinarie uel plene tradidimus, Luthero interim propter hanc cumprimis nos accuſante & damnante: nunc quoq; eam, quæ de Domini Cœna per nos traditur, doctrinam huc apponere inſtitutũ eſt, bona ſpe freti, Chriſti fideles omnes, ubi hanc doctrinam noſtram audierint, auditam intellexerint, intellectam examinarint diligentius, non obſcure illud quoq; intellecturos eſſe, quod nimirum & ſcripturæ ſacræ, & ſanctæ catholicæ eccleſiæ dogmatibus, & ueræ fidei conſentanea, & proinde nec falſa nec hæretica ſit.

Tigurinæ eccleſiæ miniſtrorum de Cœna Domini doctrina, Chriſtiana, ſcripturis ueræ ac orthodoxæ fidei, & catholicæ eccleſiæ dogmatis conſentanea eſt.

NOSTRAE, quæ de Domini Cœna eſt, doctrinæ fundamentum non alibi quàm in Dei uerbo, utpote irrefragabili ueritate, locare ſolemus. Primo igitur Domini inſtitutionem ex tribus illis Euangeliſtis & Paulo apoſtolo præmittemus: deinde uero & illud exponemus, quid et quo modo ex Dei uerbo de Cœna docere ſoleamus.

Veſpere

Veſpere facto uenit Dominus cum duodecim, & cum iam eſſet tempeſtiuum, accubuit, ac duodecim apoſtoli cum eo. Et ait illis: Deſiderio deſideraui hoc paſcha, uel tranſitum, comedere uobiſcũ antequam patiar. Dico enim uobis, poſthac nõ edam ultra ex eo, donec cõpleatur in regno Dei. Veſcentibus autem eis, accepit Ieſus panem: & cum egiſſet gratias, fregit dedit'q; diſcipulis, & ait: Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur uel frangitur. Hoc facite in mei recordationem. Similiter & poculo, poſtquam cœnauit, accepto, gratias egit, & dedit illis, dicens: Accipite hoc, & diuidite inter uos. Bibite ex eo omnes. Et biberunt ex eo omnes. Et dicebat illis: Hic eſt enim ſanguis meus, qui eſt noui teſtamenti, qui pro multis effunditur. Vel, Hoc poculũ, nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro uobis effunditur. Hoc facite, quotieſcunq; biberitis, in mei commemorationem. Amen dico uobis, quod non bibam poſthac ex fructu uitis, uſq; in diem illũ, cum illud bibam uobiſcum nouum in regno patris mei.

Et hęc quidem Domini uerba ſunt, hic eiuſdem ordo & hæc Cœnæ eſt inſtitutio, de qua ita nos omnino ſentimus, ut in hac om̃e illud perfecte comprehenſum eſſe credamus, quod ad diuinæ huius inſtitutionis & Sacramenti perfectionem attinet. Chriſtus enim æterna Dei ſapiẽtia eſt, ſummus noſter pontifex, qui omnia ſua in eccleſia ſua perfecte & euidenter, ut à quouis hominum percipi & intelligi poſſent, inſtituit: cum uidelicet, omnium

qui in terris ſunt hominum lux & ſaluator deſcen derit. Sed & Paulus apoſtolus nihil præter ea, quæ modo cōmemorauimus, addidit, cum poſt annos à cōuerſione ſua circiter decem & octo Corinthijs ſcribens corruptum Dominicæ Cœnæ ordinē & adminiſtrationem corrigere, & in priorem ritum uſumq; reducere inſtituiſſet. Si qd ergo poſt Chriſti aſcenſionem apoſtolis uel aliud uel perfectius reuelatum fuiſſet, Paulus utiq; eiuſdem poſt tot annorum ſpatium nondum immemor, illud nequaq̄ prætermiſiſſet. Cum uero nihil præter ea, quę ſuperius cōmemorata ſunt, amplius narret, conſtat certe Dei inſtitutionem paucis iſtis uerbis pleniſſime comprehendi, & omnes eos perfecta Cœna frui, qui hanc Chriſti inſtitutionē ſequuntur & ſeruant. Diuina enim perfectio nullo miſerorū hominum uel complemento uel emendatione opus habet.

Cœna quæ in eccleſijs habetur, domini Cœna eſt.

Hoc itaq; certo & ſolido perfectæ inſtitutionis Chriſti filij Dei fundamento nitentes, primo loco eam Cœnam, quę uel hodie quoq; per uniuerſum Chriſtiani nominis orbem in eccleſijs celebratur, diuinum, non humanum inſtitutum, ab ipſo Deo traditum & ipſius iuſſu à fidelibus celebratum, ac proinde Domini Cœnā eſſe, docemus. Licet enim apoſtoli, à quibus Cœnæ inſtitutionem & huius ritum eccleſia accepit, homines fuerint, hæc ipſa tamen ab ipſo domino antea acceperunt, ut ea nobis quoq; traderent. Quapropter Paulus quoq; dicit: Quod à Domino accepi, tradidi uobis: nempe q̄ Dominus ea nocte, qua traditus eſt, &c. 1. Cor. 11.

Vnde

Vnde Domini Cœnã noſtrę eccleſiæ Menſam Dei quoq; uocare ſolent. Quotquot eñ Domini menſam accedunt, eos non hominum, ſed Ieſu Chriſti, ueri Dei & hominis, inuitatos conuiuas eſſe, docemus: unde & illud monemus, ne uel miniſtros, uel ullos alios hominum, imò nec panem quoq; & uinum cumprimis & potiſſimum reſpiciant, ſed eleuata mente ipſum Dominum, qui Cœnam inſtituit, & in fidelium ſuorum commodũ nunc quoq; adminiſtrat, per ueram fidem contemplentur. Hãc ob cauſam olim quoq; in eccleſijs receptum fuit, ut miniſtri in ipſo ſtatim Cœnæ principio populum admonituri dicerent: SVRSVM CORDA, illud nimirum uolentes, ut animos eleuatos cœlis inferrent. *Gottes tiſch.*

Secundo loco, Cœnam hanc à Domino noſtro Chriſto in ultimo illo diſceſſu ſuo, cum mortẽ iam aditurus eſſet, nobis fidelibus ſuis inſtitutã eſſe docemus. Quapropter inſtitutio hæc apud omnes fideles maiori in pretio habetur & omnium eſt acceptiſſima: ut quæ poſtremæ illius profectionis dulce monumentum à fidiſſimo domino & rege non ſine ſummæ charitatis teſtimonio nobis relicta ſit. *Cœna in ultimo Chriſti diſceſſu inſtituta.* Interim uero eccleſiam propter primam illam inſtitutionem nequaquã eodem tempori & loco aſtrictam eſſe uolumus, ut nimirum non niſi ueſpertino tempore & in cœnaculo aliquo priuato Cœnã neceſſario celebrare debeat, eo quod prima Cœna in hunc modum celebrata ſit. *Tempus et locus Cœnæ.* Paulus apoſtolus fideles in eccleſiam, cõmunem ſanctorum cœtuum

locum, ad Dei inſtitutionem celebrandam conue-
nire iubet. Et cum omnes Dei miniſtri à prima ſta
tim origine auroram uel matutinum tempus tam
religioni, quàm omnibus alijs magnis & graui-
bus negotijs dedicauerint, nos quoq; matutino
tempore, ſobrij adhuc, idq; citra omnem externum
faſtum, Domini Cœnam in templis celebrare ſo-
lemus.

Quomodo Dominus Cœnam celebrarit, & nobis celebrandã inſtituerit.

Tertio, ipſum Dominum Cœnam hanc ſacro-
ſanctã hoc modo celebrauiſſe docemus: Chriſtus
cum diſcipulis ſuis congregatus, apud illos de paſ-
ſione ſimul & fructu mortis ſuæ ſermonem habe-
re cœpit, docens, quod ipſe uerus Deus & homo
mortem pro peccatoribus ſubiturus, & ipſos ab æ-
terna morte liberatos, Dei filios, & æternę uitæ hæ
redes ex gratia facturus eſſet. Simul etiam fidem et
charitatem tam Dei quàm proximi eiſdem cõmen
dauit. Præterea eos & corripit, & hortatur & con-
ſolationibus roborat, & quo pacto Deum patrem
in nomine Chriſti inuocare debeant ſumma fide
inſtituit. Et inter ipſam diuinæ huius doctrinæ ex
poſitionem, poſtquam paſchatis quoq; myſterium
declarauit, panem è menſa tollit, gratias agit, fran-
git, diſcipulis ſuis porrigit, dicens: Accipite, edite,
hoc eſt corpus meũ, quod pro uobis traditur. Hoc
facite in mei commemorationem, &c. quemadmo
dum ſupra euidenter expoſitum eſt. Hoc modo
Dominus primam Cœnam, ut nobis exemplo eſ-
ſet, celebrauit, & hoc modo eandem omnibus fide
libus ſuis uſq; ad mundi conſummationem cele-

brandam

brandam inſtituit.

Quarto, ex his quæ hactenus præmiſſa ſimul & ſolide demonſtrata ſunt, omnes eos, qui filij Dei exemplum per omnia ſequũtur, Domini Cœnam uere, ordinarie & Chriſtiane celebrare docemus: qui uidelicet in nomine Chriſti conuenire ſolent, uerbum Chriſti (imò euangelij uerbum de fidelium per innocentis Chriſti mortem redemptione, de uera fide, charitate ac ſpe, de fideli gratiarum actione & fidis Dei laudibus) audiunt. Qui tales ſunt, Deum inuocant, orant & laudant, peccata ſua agnoſcunt & deplorant, firma interim fide firmati, quod eadem illa per mortem Chriſti remiſſa & ablata ſint, & ideo in Dei laudes & gratiarum actionem totis animis effundi cupiunt. Ad Domini menſam ergo feſtini pergunt & accelerant. Vbi miniſter orando eccleſiæ præit, Domini inſtitutionem prælegit, deinde panem ac potum diſtribuit, fidelis uero eccleſia hæc à miniſtri, ceu Chriſti manu accipiens, edit & bibit, omne illud in Chriſti memoriam peragens, qui pro peccatis noſtris in mortem traditus eſt, & ſanguinem ſuum in peccatorum noſtrorum remiſſionem effudit.

Quomodo Cœna Domini digne celebretur.

Quinto, traditi corporis & ſanguinis in peccatorum noſtrorum remiſſionem effuſi memoriam præcipuum illud totius actionis caput, primarium finem ac ſcopum eſſe docemus. Dominus enim fideles ſuos hoc FACERE iubet. Actionem ergo uel communem omnibus celebrationem in

Memoria traditi corporis & effuſi ſanguinis potiſs. cœnæ finis & ſcopus eſt.

ſtituit,uolens nimirum, ut quod ipſe fecit, omnes quoq; fideles ipſius faciant. Quid uero illud eſt? Gratias agant,panem frangant & comedant, potum diſtribuant & bibãt.In quẽ finem uero? In ſui commemorationem,quod ipſe pro nobis in mortem traditus ſit, & ſanguinẽ ſuum in peccatorum noſtrorũ remiſſionem effuderit. Et huius quidem unici ac principalis finis Dominus ſecunda uice meminit.Interim uero illud nõ morabimur, quod memoria hæc uel Luthero uel aliꝭs quibuſdam leuior,uilior & abiectior uideri poteſt,Domini uerba nobis abunde ſatis uera,magna & grauia ſunt. Domini uerbis contenti ſumus, & ea ipſi nec inuertere nec annihilare ſtudebimus. Idẽ ergo quod modo diximus denuo fatemur, Cœnam hanc in hunc finem inſtitutã eſſe, ut traditi pro nobis Domini & ſanguinis ipſius in noſtri purificationem effuſi recordemur. In hoc ergo unice laboramus, hoc unice ſtudemus, ut ſalutarem illam Domini memoriam eccleſia uere & perfecte intelligat.Qui enim externam duntaxat actionem per ſe, prout illa externo ritu celebrari & tranſigi conſueuit, reſpiciunt,nec intelligunt quam ob rem & in quem finem eccleſia hoc modo panem frangit & potum bibit, facile cogitare poſſunt, nihil inter Domini Cœnam & uulgare aliquod & quotidianum conuiuium eſſe diſcriminis: quemadmodum Lutherus quoque de nobis non ſine graui iniuria & maledicendi libidine pronunciat, nos in noſtris eccle

ſiꝭs

ſijs non Domini Cœnam, ſed uulgare quoddam amicorum conuiuium, imò *compotationem ruſticam peragere. *Bauren zäch.

Porrò de hac, cuius modo mentionem fecimus, Christi rememoratione & uero proprioq́ Dominicæ Cœnæ ſcopo ac fine ſic docemus. Dominus claris & perſpicuis uerbis nos panem frangere & comedere, potum diſtribuere & bibere iubet in ſui recordationem, ſimulq́ expreſſe docet quo pacto ipſius recordari debeamus, eius nimirum, quod corpus ſuum pro nobis in mortem tradidit, & ſanguinem ſuum in peccatorum noſtrorum ablutionem effudit. Atqui eiuſmodi memoria digne iuxta Domini iuſſum ſine uera & orthodoxa fide celebrari nullo modo poteſt. Memoria ergo hæc in Cœna non uanum quoddam uel inane figmentum eſt, niſi fides inane figmentum ſit. Illud enim à conuiuis ſuis omnino requirit Dominus, ut uera fide conuiuium hoc ſuum adeant. Qua fide autem? Ea nimirum, quæ firmiter & certo credit, ꝙ Dei filius in cruce fractus uel mortuus ſit, & innoxium ſuum inſontemq́ ſanguinem pro fidelium redemptione effuderit. Porrò memoria hæc præteritarum & olim geſtarũ rerum eſt, quæ nũc dum illarum recordatio animum ſubit, nequaquam uel geruntur, uel corporaliter præſentes ſunt: quemadmodũ hic quoq; in Cœna euenire uidemus. Celebrãt traditi corporis & effuſi ſanguinis Chriſti, imò totius paſſionis omniumq́ dolorũ ipſius memoriam *De rememoratiõe Chriſti, quid ſit, & quomodo digne celebretur.*

quæ tamen omnia nequaquam denuo in Cœna corporaliter adſunt, nec rurſus uere fiunt. Nam Chriſtus ſemel duntaxat paſſus, ſemel duntaxat mortuus & immolatus eſt, nec amplius morietur aut immolabitur. Licet uero ipſæ res, quarum memoria celebrari conſueuit, corporaliter nec fiant nec præſentes ſint, fidelis tamen illa imaginatio & fidei certitudo ſalutis negotium ſemel peractum renouat, & menti noſtræ ceu præſens ob oculos ſtatuit: præſertim cum & Paulus Chriſtum in conſpectu Galatarum & inter ipſos crucifixum eſſe dicat: non corporaliter certe, ſed uehementi ac forti imaginatione & propria indubitataq́ fidelis mentis contemplatione. Fides enim ἔλεγχος, certa quædam comprehenſio eſt rerum, quæ non uideri poſſunt, ſed ſperantur. Eadem fides bona illa, quæ per traditum corpus & effuſum Chriſti ſanguinem acquiſita ſunt, fideli menti proprie & uere præſentia reddit. Id eſt, fides eos qui fideles ſunt, omnium bonorum, quæ per mortem ſuam Chriſtus nobis acquiſiuit, reddit participes. Bona hæc ſunt, gratia & fauor Dei, peccatorum remiſſio, coniunctio Dei, Chriſti communio & omnium bonorum ipſius hæreditas. Quiſquis itaq; uere & firmiter crediderit, is Dei gratia fruitur, remiſſionem peccatorum obtinet, cum Deo reconciliatus atq; coniunctus, & Chriſti ſimul omniumq́; bonorum ipſius particeps eſt. Et huiuſmodi quidem fide præditos Dominus menſam ſuam adire, huiuſmodi fide me-

moriam

moriam ſui celebrare uult: quam profecto nemo mortalium inane commentum dixerit, niſi qui fidem quoq; Chriſtianam rem nihili & inanem eſſe iudicarit.

Hæc in crucifixũ Dei & Mariæ uirginis filium fides, ad uitam æternam fideles cibat ac ſuſtinet. Et ſcriptura ueritatis nuncia edere idem eſſe quod credere, & bibere pro fidere dicit, cibum uero ac potum, qui manducatur & bibitur, uerum Chriſti corpus & ſanguinem nominat. Teſtimonium hic nobis fert, quod Dominus apud Ioannem cap. 6. pronunciat, ſic dicens: Caro mea uere eſt cibus, & ſanguis meus uere eſt potus. Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet uitam æternam: & ego ſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Et rurſum: Hęc eſt uoluntas eius qui miſit me patris, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego ſuſcitabo uel ſeruabo eum in nouiſſimo die. Item, Ego ſum panis uiuus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi uita. Item: Amen amen dico uobis, qui confidit mihi, habet uitam æternam. Ego ſum panis ille uitæ. Qui uenit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet unquam. Ex quibus omnibus illud certę & irrefragabiliter concluditur, quod is Chriſti carnem uere manducarit, & ſanguinem eius uere biberit, qui in Chriſtum uerum Deum & hominem, pro nobis crucifixum, credit. Credere enim eſt edere, & edere idem quod

De cibo fidelium, & quomodo ille manducetur.

credere. Conſtat præterea, quod qui in Chriſtũ cre dunt, cum illo coniuncti & uniti ſint, & uitam æternam habeant. Magno igitur ſtudio & cura fidem hanc docemus, ut quæ omnibus iis cumprimis neceſſaria ſit, qui Domini Cœnam digne celebrare uelint. Indigne enim Domini panem edit, & Domini potum bibit, qui ſine fide huiuſmodi Domini Cœnam acceſſerit.

Scimus quid hic quidam nobis obiiciant: Si edere idem quod credere eſt, & è diuerſo credere idem quod edere: & qui credit, ſimul etiam uerum Chriſti corpus & uerum eiuſdem ſanguinem manducauit & bibit, præterea, ſi is qui fidem habet, Domini Cœnam adire debet: illud omnino ſequi neceſſe eſt, ut fidelis Chriſtum in animo ſuo ſecum afferre, & non in Cœna demum ipſum ſuſcipere, uel nihil hic amplius quàm antea habuit, accipere dicatur. Atqui hac ſententia Domini Cœna & inutilis, & uana, & inanis redditur: aut certe amplius quiddam in hac exhibeatur oportet, quod non ſola fides ſpiritualiter, uerumetiam ipſum os corporaliter ſuſcipiat, &c. His uero nos ad hunc modum reſpondemus: Chriſtum fideli mente & animo habere ac poſſidere (ſi proprie & expreſſe loqui uelimus) aliud non eſt, quàm ipſius ſpiritus, gratiæ & bonorum, ſimulq; redemptionis Chriſti eſſe participem, & omnia hæc per fidem poſſidere. Dominus enim, qui ſurſum in cœlis eſt, nequaquam in terris hiſce intra pectus noſtrum corporaliter circumgeſtari poteſt. Vnde & Paulus inquit: Per fidem

Chriſtum fideli mente poſsidere, quid.

Ephe. 3.

dem

dem Chriſtus in cordibus ueſtris habitat. Paulo autem Ioannes quoque apoſtolus conſentit, dicens: Qui ſeruat præcepta eius, in illo manet, & ipſe in eo. Et per hoc ſcimus, quod manet in nobis, è ſpiritu quem nobis dedit. Item: Ex hoc cognoſcimus quod in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis. Et rurſum: Quiſquis cõfeſſus fuerit, quod Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Hic uero unicum duntaxat Dominum Ieſum Chriſtum uerum Deum & hominem eſſe docemus, & quod unica fides ſit, quæ nos iuſtos, & omnis gratiæ, atq; bonorum Chriſti participes reddat: quemadmodum ſupra abunde ſatis expoſitum eſt. Cum autem hæc aliter ſeſe habere non poſſint, nullam certe aliam manducationem ſalutarem etiam in Domini Cœna nos inuenire poſſumus, præter unicam illam (cuius ſupra mentionem fecimus) fidem, quam fidelis homo ſecum in Cœnam affert. Interim tamen non negamus, poſſe fieri, ut inter Cœnæ actionem qui infidelis fuit antea, fidelis fiat, & tunc demum Chriſti particeps reddatur. Licet uero fidelis donorum & gratiæ Chriſti particeps ſit, priuſquam de Domini Cœna manducarit & biberit, non tamen inde concludi poteſt, quod Cœna idcirco euacuata, inutilis, infrugifera, uana & inanis ſit, uel fiat. Dominus enim nihil temere & citra cauſam inſtituit. Qui diuini uerbi prædicationem in eccleſia auditurus uenit, ueram fidem in ipſam eccleſiam

1. Ioan. 3. & 4.

Chriſti Cœna non euacuatur.

ad prædicationem affert, nec aliam, ſed eandem illam, quæ per prædicationem uerbi doceri & plantari ſolet. Interim tamen prædicationem uerbi accedere, nequaquam inutile, uanum & inane figmentum eſt. Miniſter diuini uerbi ſemen ſpargit, & fidem plantat. Ager bonus, id eſt, honeſta & fidelis hominum mens, ſemen excipit, fidem diſcit, quam ante quoq; habebat, priuſquam uerbi prædicationem accederet. Vna igitur eademq; fides remanet, quæ per prædicationem illam exercetur, plantatur & confirmatur indies. Sic non ſine fide Domini Cœnam fidelis adit, & per fidem iam ante Chriſti particeps factus eſt: interim tamen Cœna non eſt inutilis. Miniſter Chriſti inſtitutionem prædicat, & Sacramēta diſtribuit. Fidelis illa ſuſcipit, & hoc modo exercet, plantat & cōfirmat fidem ſuam, per quam Chriſti particeps redditur, & particeps eſt. Eunuchus ille Aethiops, quem à Philippo conuerſum eſſe legimus, & Cornelius Centurio, cui Petrus concionari iuſſus eſt, Acto. 8. & 10. capite, totum Chriſtum Dominum, etiam priuſquam baptizarentur, poſſederunt, ſed et ſpiritu ſancto fuerunt donati, nec poſtmodo demum illum accepere: nihilominus tamē baptiſmus quoq; iiſdem additus eſt, qui nec ſuperuacaneus erat nec inutilis, ſed utilis ſimul & frugifer, utpote per quem fidē ſuam exercebāt & teſtabātur: quemadmodum & panis fractio, quā fideles celebrāt, ſuo fructu nequaq; caret, propter quē & à Domino inſtituta eſt.

De

De hac uero in ſequentibus plura docebimus, ut omnes intelligãt, quid nam amplius in Dominica cœna præbeatur, quod non fides ſolummodo ſpiritualiter, uerumetiam ipſum os corporaliter ſuſcipiat, & hinc ſimul externæ actionis finis et fructus à ſingulis eò euidentius cognoſci queat.

Peruetuſtus & à prima rerum origine obſeruatus Dei mos eſt, ut excellentiſſima quæque ſua beneficia propter infirmitatem noſtram (cui ſuccurrere ſtudet) non uerbis modo, uerumetiam ſignis quibuſdam & externis ac uiſibilibus cerimonijs notis uel exercitijs & teſtimonijs nobis proponat, ut his hæc nunquam non innouare & in perpetua hominum memoria nõ ſine præſenti ſemper teſtimonio conſeruare poſſit. Poſſet hoc per fœderis cum Abrahamo facti & circuncifionis hiſtoriã, per tranſitum quoque & paſchalis agni manducationẽ, per ſacrificia & pecudum immolationem Dei populo præſcriptam, per prædicationẽ de peccatorũ remiſſione à Ioanne promulgatam & baptiſmum, copioſe ſimul & euidentiſſime demonſtrari. Quoniam uero mors filij Dei, cuius merito totus mũdus redemptionem inuenit, omnium beneficiorum Dei colophon et corona ſumma eſt, ipſe quoque Dominus noſter Ieſus Chriſtus iam à ſuis diſceſſurus externã actionem, panem & uinum, corporis & ſanguinis ſui teſtimonia & memoracula, imò redemptionis noſtræ nouam & recentem recordationẽ, propter eccleſiæ ſuæ commodum euangelicæ prędicationi addere dignatus eſt: quibus aduerſus omnem hu-

De externa actione & huius fine ac fructu.

mani generis obliuionem in certum ueritatis teſti-
monium ingens illud beneficium ſuum teſtarl, no
ua ſubinde recordatione inſtaurare, et uſq; ad mun
di conſummationē in firma & tenaci fidelium me
moria retinere uult. Hinc factum eſt, ut priſcis illis
temporibus cœna Domini in eccleſia ueri corpo-
ris & ſanguinis Chriſti Sacramentum uel Symbo
lum diceretur. At omne ſignum non ſuiipſius, ſed
De ſigno & ſignato in cœna domini. alterius rei, ſignum eſt. Quapropter in Domini
cœna duæ diſtinctæ inter ſe partes conſyderari
debent, ſignum uidelicet & ſignatum. Signum
tota illa externa & uiſibilis actio eſt, in qua panis
frangitur & manducatur, potus uero effunditur
& bibitur. Signatum autem, Dominus Ieſus eſt,
uerus Deus & homo, caro & ſanguis ipſius, paſ-
ſio quoque eiuſdem, crux, mors, omne denique
bonum, quod inde profectum eſt, utpote Dei gra-
tia, peccatorum remiſſio & uita æterna. Et in hac
equidem ſigni & ſignati analogia externæ actio-
nis fructus & finis cernitur. Cum enim externa
actio teſſera uel μνημόσυνον, id eſt, ſignum ſit me-
moriæ gratia inſtitutum, fidelis non obſcure con-
iicere poteſt, ſe non in hoc ſolummodo à Domi-
no inuitatum eſſe, ut panem edat & uinum bibat,
uel externæ actionis ritus peragat, ſed propter
præſtantius quiddam & excellentius, ut nimirum
fidem ſuam ueram in Chriſto exerceat. Fidelis er-
go non ſignis affixus hæret, ſed in rem ſignatam
omnes ſuas meditationes & totam mentem diri-
git. Ideoq; cum Dominus panem uinumq; acci-
pit.

pit, & ait, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur: Hic eſt ſanguis meus, qui pro uobis effunditur, &c. fidelis omnes ſuas cogitationes & fidem in uerum Chriſti corpus & ſanguinem collocat, qui ſemel pro peccatis noſtris effuſus eſt, nunc uero ipſe ad dextram Dei conſidet. Et hoc ipſum eſt, quod ueteres in actione hac, SVRSVM CORDA, dixerunt. Quod ſi uero in pane Chriſti corpus quærere uoluerimus, iam, DEORSVM CORDA, dicendum erit. Cum itaque fidelis panem Domini manibus ſuis accipit & frangit, illius facti memoriam refricat, quo Dominus in mortem traditus & pro fidelibus fractus, id eſt, occiſus eſt: quod denique hi ipſi, qui panem frangunt, peccatis ſuis Dominicæ morti cauſam præbuerint, & quod ab ipſis quaſi occiſus ſit. Fideles panem non in manibus modo retinent, nec eundem ſeponunt aliò, ſed ſuſceptum comedunt. Sic fidelium fides crucifixum Dei filium ſuſcipit, & Dominum non modo paſſum eſſe credit, ſed quod pro omnibus & ſingulis fidelibus paſſionem illam ſuſtinuerit. Eſu cibus recipitur, cibus autem in ipſum corpus manducantium commutatur eosq́ꝫ cõfortat. Fide Chriſtus uiuificus ille cibus recipitur. Chriſtus per fidem fideli unitur, ut nimirum in ipſo uiuat, & fidelis in Chriſto, ſimiliter ad omnia bona opera eundem prouehit, confirmat, roborat, & in uitam æternam conſeruat. Eodem modo uinum ſi

Analogia ſigni & ſignati.

tim leuat & exhilarat hominem. Cum ergo fidelis Domini poculum accipit & bibit, fida & firma memoria eius beneficij magnitudinem conſyderat, quo ſanguis filij Dei, in cruce ſemel pro nobis efſuſus, à peccatis abluit, & animã ita ſaturat, ut poſthac nulla ſiti laboret: adde, quod fidelis interea ſanguinis & uirtutis Chriſti operationem & fidei ſuæ fructum, pacem uidelicet, gaudium, & ſecuritatem in ſpiritu ſancto, ſentit ac experitur.

Externæ actionis & ſignorum fructus. Et hac quidẽ ratione & modo externa illa actio & ſignum fidelium fidem exercet, teſtatur & ueritati quoq; teſtimonium fert, quod ſcilicet Chriſti participes ſimus, quod Chriſtus in nobis ſit, & nos in ipſo, Chriſti mortem & inſigne illud Dei beneficium in fideli memoria retinet, præterea animi deuotionem mouet, & ad rerum geſtarum cœleſtiumq; bonorum (quæ per fidem uere percipiuntur, & quorum nos participes reddimur, nec inani duntaxat cogitatione proſequimur) conſyderationem excitat. Et ſic quidem ſacra hæc actio aliquo modo fidei ſuccurrit & multam utilitatem affert, in hunc nimirum finem ſuum à Domino inſtituta: ut licet fideles in ipſa cœna nullo alio uiuifico cibo fruantur, quàm qui illis extra cœnam quoq; adeſt, nec alio fruendi modo qui cœnã peragunt utantur, q̃ quo & extra cœnam Chriſto frui ſolent (per fidẽ ſcilicet) externa tamẽ actio propterea nec uana, nec inanis, nec inutilis ſit. Noſtræ enim (ut modo expoſuimus) infirmitati ſeruit, Chriſtum ſe

totum

totum nobis impartire & nobis unitum eſſe teſta-
tur, & fidei quodammodo occaſionem ad promo-
uendum ſuppeditat. Et hæ quidem teſſeræ ac me-
moracula, nempe panis et uinum, illud ipſum ſunt
(ut ſupra meminimus) quod non fides modo ſpi-
ritualiter, uerumetiam os fidelium corporaliter ex-
cipit. Extra cœnam hanc Dominus morte ſua fide-
lem per fidem iuſtificat & ſaluat. In cœna hac idem
ille Dominus fidelem morte ſua per fidem iuſtifi-
cat & ſaluat. Et ſic quidem qui fidelis eſt utrobiqꝫ
eodem modo & eadem fidei uia ac ratione unum
& eundem cibum, Chriſtum uidelicet uerũ Deum
& hominem percipit, hoc uno addito diſcrimine,
quod in cœna actio quoqꝫ exerceri, & ſignum iu-
xta Chriſti præceptum non ſine conteſtatione, gra
tiarum actione & promiſſione ſeu pactione qua-
dam (de qua paulò poſt dicetur) adhiberi conſue-
uit. Vnicus enim duntaxat Dominus eſt, unica ſa-
lus, unica uita, Chriſtus nimirum: ſimiliter unica
quoqꝫ ad uitam perducens uia eſt, fides ſcilicet, nec
alia fides, quàm quæ Ieſum Chriſtũ, uerum Deum
& hominem pro peccatis noſtris & incarnatũ &
mortuum eſſe credit. Hæc fides iuſtificat ſimul &
uiuificat. Imò externa illa cœnæ actio uel admini-
ſtratio, ſi ipſam nude conſyderes, prorſus infrugife
ra eſt: cum fide autem & per fidem peracta & uſur
pata, multum utilitatis & fructus affert. Da enim
aliquem nulla prorſus fide præditum, & quanti
ipſum hanc panis fractionem facturum putas? Ri
ſus & luſus omne hoc illi eſſe uidebitur. Rurſus

uero alium da, qui uera fide donatus eſt, quanto hic animi gaudio, quanto ſtudio & alacritate ad cœnæ huius communionem feſtinabit? Et huius quidem generis exempla ſuperius quoque audiuimus, Cornelij nimirum, Centurionis & Eunuchi Aethiopis, qui non ſine inſigni gaudio baptiſmum receperunt, licet iam ante totum Dominum & bona illius omnia in animabus ſuis per fidem poſſiderent. Noſtra cœna igitur, quam in noſtris eccleſijs à Domino traditam accepimus & uera fide exercemus, nequaquam ruſticana quædam comeſſatio eſt, in qua non niſi panem uoremus et uinum hauriamus, quemadmodũ Lutherus (qui os ſuum calumnijs & conuicijs aſſuefecit) plus ſatis impure loquens tale quidem calumnioſe & falſò nobis impingit. Domini cœnam celebramus, idq́ eo modo & forma, qua illam nobis inſtituit. Cæterum plenius adhuc, quid porrò hic docere ſoleamus, declarabimus: ut uerus ille finis, in quem Domini cœna inſtituta eſt, plene & perfecte intelligi poſſit.

De gratiarum actione in cœna Domini. Ipſe Dominus, iuxta Pauli teſtimonium, ſic inquit: Quotieſcunque panem hunc comederitis, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciate donec uenerit. Et horum quidem uerborum ſenſum legemq́ ſecuti ineffabilem illam Dei bonitatem, qui miſeros nos peccatores per filij ſui mortem ab æterna morte redemit, & æternæ uitæ hæredes conſtituit, ſummis laudibus & fideli gratiarum actione celebrare docemus. Nam & mortem Domini

mini annunciare aliud non eſt, q̄ illum laudare, celebrare & gratias agere: quo ſenſu & illud Petri dīcitur, 1.Pet.2. Vos autē gens ſancta, populus qui in lucrum acceſſit, ut uirtutes prædicetis illius, qui è tenebris uos uocauit in admirabilē ſuam lucem. Primo enim & potiſſimo loco cœna μνημόσυνον et teſſera, teſtimoniū deniq; eſt diuinæ, quæ erga nos exercita eſt, gratiæ, & noſtræ redemptionis, quæ p̄ Chriſti mortem obuenit, inſtauratio, ut ſupra dictū eſt. Deinde fidelis quoq; gratiarū actio eſt, qua peccata noſtra ob mentis oculos reuocamus, Deo confitemur, & pro gratuita, quam nobis præſtitit, peccatorum remiſſione illi gratias agimus. Et ob hunc finem cauſamúe apud ueteres Euchariſtiæ nomē accepit, quod gratiarū actionem ſignificat. Sacrificiū item Chriſtiani populi eandē cœnā dixerunt, non equidē, quod uerū Chriſti corpus & ſanguis in cœna immolentur: ſed preces, Dei laudes & gratiarū actio Chriſtiani populi ſacrificia ſunt, quæ unà cū charitate, cōcordia & proprijs ſuis corporibus Deo patri offerre conſueuerunt. Hebr.13. Rom.12.

Euchariſtia.

Sacrificiū.

Rurſum, Paulus 1.Cor.10. ſic ſcribit: Poculū gratiarum actionis, quo gratias agimus, nónne communio ſanguinis Chriſti eſt? Panis, quem frangimus, nónne communio corporis Chriſti eſt? Quoniam unus panis, unum corpus, multi (uel multitudo aut ipſa concio) ſumus. Nam omnes ex eodem pane participamus, &c. Quibus úerbis demōſtrare uult, Corinthijs nequaquam licere, ut idolis ſacrificatas epulas accedant, & ex illis manducent,

Cōmunio, unio, confeſſio et officij conteſtatio in cœna.

& aliqua cum idolis & idololatris communione uel participatione utantur. Sacra enim hæc ſymbola uel Sacramenta omnes eos in unam concionem & populum unire & quaſi incorporare, qui illis ſimul utantur & eorundē participes fiant. Et quia Corinthij ex Domini cœna manducarint ac biberint, ipſos quoque cum uniuerſis fidelibus & ipſo Chriſto in unum corpus coiuiſſe: nequaquam ergo illos decere, ut ſacrificiorum (utpote Sacramentorum gentilitiorū) participatione unū etiam cum dæmonijs & infidelibus corpus conſtituantur: & proinde panis fractionē & potū illum de poculo gratiarū actionis hauſtum, corporis & ſanguinis Chriſti cōmunionē eſſe dicit, id eſt, eos qui panem frangunt & de poculo euchariſtiæ bibunt, unū & idem corpus, unum & eundem populū & concionem Chriſti iam eſſe & fieri, Chriſti nimirum ſanguine mūdatos & ut Chriſtiana eſſent eccleſia purgatos. Huiuſmodi ſenſum enim ipſe Paulus nō obſcure profert, cū addit: Quoniā multi, id eſt, nos ex quibus multitudo aut concio populi conſtat, unus panis et unum corpus ſumus. Nos (inquit Paulus) unū corpus & unus panis ſumus. Nos, inquit, & non panis & corpus Domini, unum ſunt. Qua ratione uero & forma illud dicit? Ipſe Paulus declarat. Nam omnes ex eodē pane participamus. Vt ergo ex multis granis unus panis confit: ita omnes, qui ex uno pane in cœna manducant, unus panis, una concio, unum corpus, unus populus, tam inter ſeſe inuicem, quàm cum Chriſto capite ſuo, fiunt:

ſunt: talis nimirum, qui Chriſto cohærere, omnes alios Deos, omnia idola & idolothyta abnegare, ſolius Chriſti & eccleſiæ eius particeps eſſe, & ſic cum Chriſto ſimul & omni fidelium cœtu unũ & idem eſſe debet: quod ipſum idẽ apoſtolus euidentius multo in eadem epiſtola cap 12. declarat. Et hic quidem uerborum Pauli ſenſus in ſequentibus magis confirmatur & exprimitur, quæ tamen hoc loco breuitatis cauſa omittimus. Ex hac ergo D. Pauli traditione illud nos quoq; docere conſueuimus, quod nimirum fideles in Domini cœna liberã & apertam fidei ſuæ confeſſionem prodant, & quòd cum Chriſto ſimul, cunctisq; fidelibus in unũ corpus, in unã, inquã, ſanctam ſocietatẽ ad uitæ ſanctimoniam & mutua Chriſti fideliũ officia ſeſe obſtringant. Quam cauſam ueteres quoq; reſpicientes Chriſti cœnam Sacramentum, id eſt, iuſiurandũ & ſtipulationem quandã, non modo ſacræ rei ſignum, dixerunt. Cõuiuas ergo cœnæ Dominicæ, ut fidei & charitatis officia tam Chriſto quàm fidelibus ſuis membris omnibus ſedulo præſtent ac ſeruent, ſtudioſe hortamur. *Sacramentum.*

Et hæc quidem breuis noſtræ doctrinæ ſumma eſt & declaratio, quã de Domini cõmemorationẽ & fine cœnæ, propter quẽ illa eccleſiæ à Dño inſtituta eſt, tradimus: nempe quod hæc ideo ſic fieri uoluerit, ut tam paſſionis q̃ redemptionis noſtræ firmam & recentẽ ſemper memoriã in eccleſia ſua retineret, ſimul etiam gratiã ſuam & immenſa dona nobis teſtimonio quodã cõfirmaret, & ſigno dato *Summa.*

adumbraret, quæ ſola quidē fide percipi poſſunt, quam tamen ipſe externa hac actione exercere ſolet. In hac quippe & per hanc fideles gratias agūt, Dei bonitatē in Chriſto laudant & celebrant, fidē ſuam teſtantur & confitentur, et in unū corpus atq; unā concionē ſeſe aduniunt & obſtringunt, in qua Domino fideliter cohærent, & proximo ſeruiunt.

An naturale Chriſti corpus corporaliter in cœna præſens ſit. Porrò, non ignoramus quæ nā & qualis quæſtio circa cœnæ negotiū hodie diſputari ſoleat: An non uidelicet naturale etiā Chriſti corpus uere præſens in Domini cœna, cum pane ſimul porrectum & traditū nō ſpiritualiter modo per fidem, uerumetiam corporaliter ipſo ore manducetur? Scimus præterea eſſe quoſdā, qui omnē, utcunq; ſanctā & diuinam, de Domini cœna doctrinā contemnunt & aſpernantur, niſi illud ante omnia libere quis fateatur, hoc inquā quod Dñi panis ipſum quoq; naturale corpus ſit. Nos uero quæſtionem hanc & ſententiā ad ſalutē non modo inutilē eſſe minusq; proficuam, uerumetiam fideles mentes ut plurimū excruciare, uniuerſum cœnæ negotium exacerbare & ſimplicem de fidei iuſtificatione doctrinā & plures alios ſcripturæ locos obſcurare atq; inuoluere, noſtras eccleſias diligenter docemus. Dominus enim in Euangelio diſertis uerbis ſic ait: Exiui à patre, & ueni in mundū: iterum relinquo mundum, & uado ad patrem. Item: Poſthac non ero in mundo, ipſi aūt (diſcipuli ſcilicet) in mundo ſunt: ego autem ad te uenio. Et, Veritatem dico uobis, expedit uobis ut abeam. Nam ſi non abiero, conſolator

Ioan.16. *Ioan.17.* *Ioan.16.*

ſolator ille non ueniet. Si autem abiero, mittam illũ ad uos. Cum itaq; uerba hæc omnia clara & dilucida ſint, ſed & corporalem corporis Chriſti in terris hiſce præſentiã ſimpliciter abnegent, nõ temere profecto noſtræ fidei cõmiſſos abſurdo illo de corporali corporis Chriſti præſentia & eius fructu dogmate, nequaquã onerandos eſſe cenſemus. Caro illius ſemel in terris hiſce ꝓfuit, ut ſalutẽ ſcilicet noſtrã oparetur, nunc eiuſdẽ in terris hiſce uſus nullus eſt, nec etiã in terris hiſce præſens eſt. In cœlis reſidet, & ibi plurimũ utilitatis affert, quemadmodũ ſupra de Chriſti ſacerdotio & regno diſputatum eſt. Hęc omnia ipſe Dominus locutus eſt, & ſe ueritatẽ loqui teſtatus eſt: quis ergo illum mendacij arguet? Idem ueritatis os illud quoq; pronunciat: Spiritus eſt qui uiuificat, Caro non prodeſt quicquam: non quod per omnia inutilis ſit, ſed quod comeſa nihil fructus afferat. De ſua enim carne ibi loquitur Dominus: quæ cum corporaliter manducata nihil proſit, & ſpiritus ſit qui uiuificat, multum certe admiranda eſt eorum temeritas, qui aduerſus tam clara & expreſſa Dei uerba docere audent, ſpiritualem corporis & ſanguinis Chriſti manducationem & potum ad uitam non ſufficere, niſi corporaliter quoque Dominus manducetur, & corporalem illam manducationem utilem eſſe uitamq; largiri contendunt. Hoc etenim dogma cum Domini doctrina δὶς διὰ πασῶν pugnat. Præterea, cum omnis ſcriptura hominem ex mera Dei gratia per Chriſtũ in ſola fide iuſtificari doceat, nos contra hoc infal-

libile fidei & æternæ ueritatis fundamentum uel etiã prçter hoc nec poſſumus nec uolumus docere, quod huiuſmodi fides (quæ uidelicet Chriſtum Ieſum, uerum Deum & hominẽ, per mortem ſuam innocentem patrem ſuum nobis recõciliauiſſe credit) ad iuſtificationem, peccatorum remiſſionem et uitam æternam non ſatis ſit, imò non pleniſſime ſufficiat, niſi & Chriſti corpus corporaliter quoque ipſo ore manducetur.

Quod ſi qui illud nimis tenuiter & cõtemptim dictum putarint, ſi uidelicet dicamus: Sola mors Chriſti peccata remittit, Sola fides iuſtificat, &c. abeant quæſumus iſti homines & prophetas, imò ipſum Dominũ cum apoſtolis reprehendant, qui omnes nec aliter, nec quicq̃ ulterius de peccatorum remiſſione, de iuſtificatione & uitæ acquiſitione docuerunt: interim uero corporalis huius manducationis qua naturale Chriſti corpus comedatur nullibi meminerunt. Quod ſi uero ĳdẽ iſti, per fidẽ & ſpiritualem manducationem non cõſpicue nec magnifice ſatis eximium illud Dei donũ exprimi dixerint, quod Dominus in cœna ſua eccleſiæ diſtribuit, ſed nec ipſum fruitionis modũ, ut qui ineffabilis ſit, &c. nobis equidem uidetur amplis illis & magnificis uerbis nequaquã opus eſſe, ubi nullus horum fructus eſt. Ipſe enim Dominus noſter & apoſtoli ipſius eximium illud & præſtantiſſimũ Dei munus ac donum ſatis dilucide & excellenter tam in cœna quàm extra hanc nobis expoſuerunt. Chriſtus Ieſus, Dei & Mariæ filius, eximium illud

donum eſt, non in hunc finem à patre mundo tra‑ ditus ut corporaliter illũ manducemus, ſed ut pro nobis mortem ſubiret, à peccatis expiaret, ac æter‑ næ uitæ hæredes faceret. Quapropter ſi proprie lo qui uelimus, ipſa peccatorũ remiſſio, Dei per Chri ſtum amicitia & coniunctio ac uita æterna, uerum illud, finale & eximiũ donũ eſt: pretium uero quo illud redemptum & acquiſitũ eſt, mors Chriſti eſt: medium aũt, per quod donũ hoc recipitur & uſur‑ patur, fides eſt ac fidelis hominis anima. Et hoc modo omnes apoſtoli docent, & negotiũ hoc om‑ ne ſufficienter & cõmode eloqui, & fideles idem il lud non obſcure capere potuerunt. In cœna uero idem illud per externam actionem amplius & uiſi biliter figuratur & nõ ſine externo teſtimonio pro ponitur, quemadmodum ſupra annotatũ eſt. Quid ergo ad ſimplicẽ huiuſmodi & claram ueritatis ſen tentiã, ſublimibus hiſce, amplis & obſcuris uerbis atq; inauditis opus eſt? Cur non apoſtolorum ſim plicitate cõtenti eſſe diſcimus? Licet enim apoſtoli quoq; figuratis interdum & obſcuris loquendi for mulis utantur, eædem tamen ab eccleſiæ miniſtris exponi & explanari debent. Quomodo enim res non intellectæ humanã mentẽ inſtituere, cõfirma re & cõſolari poterunt? Sed & Auguſtinus eos gra uiter falli & errare & in anima quoq; damnũ acci‑ pere dicit, qui figuratas locutiones crudo ſenſu et li terali intelligant. Et lib. de doct. Chriſt. 4. cap. 8. ꝓphetas ſimul & apoſtolos certas ob cauſas non‑ nunquã obſcuris uerbis & locutionibus uti docet,

interim tamen eccleſiæ miniſtros & ſcripturarum interpretes nequaquã ita loqui uult, aut ita ſermones ſuos inſtituere, ut & ipſis nouo interprete opus ſit, ſed illos clariſſime, ſimpliciſſime euidẽtiſſimeq́ loqui debere ſcribit, ſic ut nemo non illorum ſermonem & ſententiam capiat. Non ergo, ait, expoſitores eorum ita loqui debent, tanquam ſe ipſi exponendos ſimili authoritate proponant: ſed in omnibus ſermonibus ſuis primitus ac maxime ut intelligantur elaborent, ea quantum poſſunt perſpicuitate dicendi, ut aut multum tardus ſit qui non intelligit, aut in rerum, quas explicare atque oſtendere uolumus difficultate ac ſubtilitate, non in noſtra locutione, ſit cauſa, quò minus tardiúsue quod dicimus poſſit intelligi.

De uero & ſimplici ſenſu uerborũ Domini, Hoc eſt corpus, etc.

Alia hic obiectione nos oppugnat aduerſariorum turba. Dominus (inquiunt) in cœna accepit panem, ac dixit, Hoc eſt corpus meum: Similiter & poculum accepit, dicens, Hic eſt ſanguis meus. Et hæc quidem uerba clara ſunt & expreſſa, quibus demonſtratur hunc Domini panem & potum eiuſdem uerum ac naturale corpus eſſe & ſanguinem: & cum ipſe hæc nos manducare iubeat & bibere, conſequi omnino neceſſe eſt, quod uerum Chriſti corpus & uerus eiuſdem ſanguis ore quoq; comedatur ac bibatur. Atqui obiectionem hanc diluere longe facillimum eſt, ſimulq́; irrefragabili demonſtratione euincere, illos ipſos Chriſti uerbis huiuſmodi ſenſum obtrudere & eiuſdem uerbum à uero ſenſu & ingenio uiolenter deflexum

xum torquere. Et primo quidem uetuſtiſſima illa catholicæ eccleſiæ regula uel lege nitimur, quæ monet, ne unicus aliquis ſcripturæ locus multis alijs opponatur, ſed ut unicus ille iuxta plurium uel multorum ſenſum & analogiam explicetur: item, quod nullus ſenſus ſecundum literam uerbis aliquibus tribui debeat, qui cum fidei articulis pugnet. Quot uero ſcripturæ loci unico oppoſiti ſint, qui denique Chriſtianæ fidei articuli cum corporali hac Chriſti in cœna præſentia pugnent, partim ſupra demonſtratum eſt, partim in ſequentibus manifeſtius demonſtrabitur. Deinde certò conſtat, quod Dominus hoc loco Sacramentum, ſanctam actionem uel μνημόσυνον, id eſt, monumentum rei geſtæ inſtituat. In omnibus uero Sacramentis & memorialibus ſignis communi more illud fieri conſueuit, ut ſignati nomen ipſi ſigno tribuatur: nec tamen ideo ſignum hoc ipſum eſt quod dicitur. Quia uero aliqua uel analogia uel ſimilitudine ipſi ſignato reſpondet, ꝓpter hanc ſolam ſignati nomen accipit. Sic circuncifio fœdus dicitur, cum reuera & proprie loquendo non niſi fœderis ſignum eſſet. Agnum illum paſchalē cum tota eiuſdem actione tranſitū ſcriptura uocat, cum non niſi in tranſitus memoriam eſſet inſtitutus. Sacrificia & eorundem immolationes peccata & peccatorum expiationes dicebātur, interim tamē non proprie peccata erant, ſed peccatorū, ut Paulus inqt, memoria & ſimilitudo. Interim nemo eſt qui aliquem falſò locutum eſſe accuſet, ſi circunciſionem *Hebr. 10*

fœdus, ſacrificia ipſa peccata, &c. eſſe dixerit. Singuli uero ex ipſa locutionũ proprietate, ex rerum ſimilitudine & cõmuni omnium uſu, quales nam locutiones & qualiter accipiendæ ſint, intelligunt. Quod ſi quis apud ueteres illos huiuſmodi ineptis & turbulẽtis clamoribus multa euincere & aſſerere uoluiſſet, Verba clara ſunt & propria, Sacrificia ipſiſſima peccata ſunt corporaliter, Vacca rufa peccatum eſt, & ſacerdotes peccata populi comedunt, &c. Verba inquam hæc euidentiſſima ſunt, & expreſſe poſita, &c. nemo certe illũ audire dignatus fuiſſet, ſed contentioſum & rixatorem eſſe omnes iudicaſſent. Imò, ſi uel hodie quiſpiam oriatur, qui contentioſis clamoribus euincere uelit Chriſtũ petram eſſe corporalem, agnum, uitem, & omnia hęc corporaliter: eo quod ſcriptum eſt, Petra erat Chriſtus, Chriſtus eſt agnus ille dei, qui tollit peccatum mũdi, Ego ſum uitis uera, &c. nemo equidẽ iſtiuſmodi hominem æqua mente tulerit: interim nemo offenditur cum Chriſtum in ſcripturis petram, agnum uel uitem nominari audit. Vident enim omnes, locutiones iſtiuſmodi ſimilitudinẽ aliquam in ſe complecti, quales innumeras tam in ſcripturis quàm quotidianis colloquijs deprehendere licet. Eodem itaq; modo fideles non obſcure intelligũt, quo pacto panis & uinũ Chriſti corpus ac ſanguis, & è diuerſo corpus & ſanguis Chriſti panis & uinum ſit, ſacramentaliter ſcilicet, non corporaliter nec naturaliter.

Locutiones parabolicæ.

Porrò quod nonnulli obijcere ſolent, iſtiuſmodi

di locutiones, quarum ſupra meminimus, ſimilitu
dinem exprimere, has uero, Hoc eſt corpus meum,
Hic eſt ſanguis meus, nequaquam, &c. nullo cer-
to & ſolido ueritatis fundamento nititur. Nam &
Sacramētales locutiones ſimilitudinem in ſe com
prehendunt, cum uidelicet Sacramenta, niſi ſimili-
tudinem aliquam rerum quarum Sacramenta ſunt
haberent (quemadmodum & D. Auguſtinus in-
quit) ſacramenta non eſſent. Atqui iſtæ locutiones,
Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, ſacra-
mentales ſunt. Dominus enim hæc dicens, Sacra-
mentum inſtituit. Similitudinem ergo aliquam in
ſe comprehendunt, & iuxta hanc ſacramentaliter
exponi debent. Qua uero ſimilitudine panis & ui
ni corpus & ſanguis Chriſti adumbretur, nō mul-
to ante expoſitū eſt. Regulam ergo illam eccleſiæ
uetuſtiſſimā, quæ ſigna propter ſimilitudinem rei
ſignatæ nomen accipere docet (cuius & Auguſti-
nus crebro meminit, & in Sacramentorum decla-
ratione communiter uti conſueuit) ex ſcripturis de
ſumptam, nō priſcis modo illis qui Chriſti tempo
ra præceſſerūt, uerumetiam apoſtolis cognitam &
in uſu fuiſſe, conſtat. Licet enim rebus multo uilio
ribus nonnunquam offenſi ſint, & declarationem
aliquam à Domino poſtularint, hæc tamen dicen
te Domino, Hoc eſt corpus meum: &, Hic eſt ſan
guis, &c. nullam prorſus quæſtionem mouiſſe le-
guntur. Sacramentum enim ipſis commendari &
inſtitui non obſcure uidebant. Sacramentales au-
tem locutiones ipſis nō nouæ nec inauditæ, ſed no

tiſſimæ & communi uſu expoſitæ erant. Ad hæc iam tunc quoq; paſchalem agnum comederãt, qui & ipſe tranſitus nomine uocabatur eodem modo, quo panis & uinum Chriſti corpus & ſanguis dicebantur. Præterea ipſum Dominum corporaliter ſibi aſſidere, ac panem uinumq́; porrigere uidebãt. Vnde nulla amplius uel quęſtione uel expoſitione opus erat. Sciebant etenim Dominum non niſi unicum, non duo (porrigens nimirũ & porrectum) corpora habere. Vnicum ergo illud uerum Chriſti corpus unici illius ueri corporis ſignũ uel teſſeram porrigebat, quæ Sacramentali modo corpus Chriſti eſt. Quod ipſum D. Auguſtinus quoq; reſpexit, cum in Pſalmi 33. enarratione ſic ait: Dominus accepit in manus ſuas quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat quodammodo (ſacramentaliter nimirũ) cum diceret, Hoc eſt corpus meũ, &c. Sed & illud non obſcure ſentiebant diſcipuli, quod ipſum dominum nequáquam corporaliter ore ſuo manducarent, ſed panem ueri corporis ſignũ uel teſſeram, adeóq; ipſum dominũ per fidem ſpiritualiter, non carnaliter. Accedit his quod antea (ut Ioan. 6. uidere licet) abũde ſatis inſtituti, quo pacto Chriſti carnem uere mãducare, & ſanguinem eius ſalubriter bibere deberent, & quod hæc corporaliter uel edere uel bibere nihil prodeſſet, non ignorabãt. Cum præterea multa experientia docti intelligerent Dominum ſuis nihil, quod inutile & ſuperuacaneum eſt, inſtituere & commendare, intellexerunt utique uerba hæc, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis

meus,

meus, & figurate dicta eſſe, & iuxta communē Sacramētorum rationem debere intelligi. Sed & quidam è ueterum numero Ioannem ideo nullam huius inſtitutionis & uerborum iſtorum, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, mentionē feciſſe, quod antea cap. 6. abunde ſatis docuiſſet, quo pacto Chriſti corpus ac ſanguinem utiliter manducare & bibere oporteat, ſpiritualiter nimirum, per fidem & cum fide.

Et licet multa & prolixa de uerbis iſtis, Hoc eſt corpus meum, contentio inſtituatur, quomodo uidelicet apud tres euāgeliſtas ſimili euidentia & perſpicuitate poſita ſint, nemo tamen negare poteſt ea quæ de poculo dicuntur, uerba, ſic deſcribi, ut citra expoſitionē illa præterire non liceat. Vt enim Matthęus & Marcus habent, Hic eſt ſanguis meus: ita apud Lucam & Paulum legimus, Hoc poculū, nouum teſtamentū eſt in ſanguine meo. Vbi nemo fidelium, quid nouum teſtamentum ſit ignorat, perfecta nimirū quæ fidelibus cunctis contingit peccatorum remiſſio, quemadmodum Iere. 31. Heb. 8. & 10. eſt uidere. Hoc ipſum uero nec poculum eſt, nec quod iſto cōtinetur. Interim tamen bene & uere teſtamentum dicitur, quemadmodū & aliàs quę teſtamenti uel fœderis articulos continent tabulæ, & teſtamentum & fœdus uocantur. Sed nec poculum in Chriſti ſanguine eſt. Vino autem, quod poculū ipſum continet, Chriſti ſanguis in cruce effuſus figuratur, & ceu teſtimonium quoddam illius proponitur, in quo & per quod nouum illud teſta

mentum, perfecta uidelicet peccatorũ remiſſio, nobis legata, promiſſa, imò acquiſita eſt. Et ſancta illa apoſtolica eccleſia, ut futuros errores cauere poſſet, Domini Cœnam non ſacroſanctũ Chriſti corpus, ſed fractionẽ panis uocauit, Acto.2.20. 1.Corinth.10. Sed & Dominus potum hunc, nõ uinum ſolũmodo, uerumetiã uitis fructum uel genimen dixit. Paulus apoſtolus non ſine accurata diligentia Domini panem ac potũ nominat, 1.Corin.11. Præter hæc omnia nec ipſa corporis Chriſti in gloria ueritas, nec Chriſtianæ fidei certitudo ferre aut admittere poteſt, ut uerba hæc, Hoc eſt corpus meũ, Hic eſt ſanguis meus, corporaliter ſecundũ literam intelligantur. Sic enim Domini corpus omnibus ijs in locis uere & corporaliter præſens eſſe, & ipſo ore manducari oporteret, in quibus Domini Cœna celebratur. Hoc autem nec uerũ eſt, nec unquam uerum eſſe poterit, niſi humanæ naturæ proprietatem cũ Eutyche exinanire uelimus, ut Chriſti corpus ita ubiq; eſſe dicatur, quemadmodũ diuinitas eius ubiq; eſt: quod tamen nullus unquam orthodoxus doctor dicturus eſt. Eutychen enim (ut ſupra annotatũ eſt) propter hoc dogma uniuerſæ eccleſiæ conſenſus olim damnauit.

Fractio panis.

Et hæc quidem abunde ſatis euidenter demonſtrãt, imò forti & irrefragabili teſtimonio euincũt, quod hæc Chriſti uerba, Hoc eſt corpus meũ, Hic eſt ſanguis meus, Sacramentaliter exponi, & non corporaliter accipi debeant: & quod uerborũ iſtorum ſenſus nequaquam is ſit, quod naturale illud

Chriſti

Chriſti corpus corporaliter in Cœna præſens ſit, et in hac tam à malis quàm à bonis ore manducetur. Præterea illud etiam conſtat, quod Domini uerbis priuato conſilio contra ſimplicem iſtorum ſenſum aliquid addant & aſſuant, qui uerba hæc, Hoc eſt corpus meũ, Hic eſt ſanguis meus, ſimpliciter quidem pronũciant, mox uero addunt, naturaliter, uere, corporaliter, deffinitiue, ineffabiliter, &c. Noſtra uero horum declaratio, qua ſigna propter analogiam uel ſimilitudinem ſignatarũ rerum nomina accipere docemus, ex ſcripturis deſumpta & uetuſtiſſima illa Sacramentorũ expoſitio eſt, quæ à prima ſtatim origine in eccleſia citra omnem contradictionem uſurpata olim fuit.

Quapropter noſtra hæc uerborum Chriſti, Hoc eſt corpus meũ, Hic eſt ſanguis meus, imò uniuerſa noſtra, quam de Domini Cœna hactenus tradidimus, doctrina, non ſacris ſcripturis modo & ueræ fidei, uerumetiam cõmuni illi, quam catholica ſequitur eccleſia, doctrinæ conformis eſt: cuius miniſtri duas diſtinctas in Cœna Domini res ſemper agnouerunt, corpoream uidelicet ac uiſibilem, alteram uero ſpiritualem, quæ non niſi intellectu percipi debeat. Corpoream & uiſibilẽ, ipſum ſignum uel actionem externam nominant: ſpiritualem uero id, quod ſpiritu uel fideli mẽte percipitur. Alioqui enim corpus Chriſti nequaquã ſpiritus eſt, nec in ſpiritum tranſiuit (Verum enim corpus manet) ſpiritualia autem ſunt, quę ille uero ſuo corpore & ſanguine fidelibus acquiſiuit, peccatorũ uidelicet

Noſtra de Cœna Domini doctrina ueteri in eccleſia doctrinæ conformis eſt.

remiſſio & uita æterna. Præterea inter ſignum & ſi gnatum miro & diligenti ſtudio fidelium eccleſia diſtinxit, ſimulq́ꝫ euidẽter & perſpicue docuit, quo modo mentem à uiſibili illo abſtrahere, nec illi affi gere, ſed ſurſum in cœlos per fidem attollere opor teat. Et iuxta hanc quidem ſententiam D. Auguſti nus omnem ſuam de Domini Cœna doctrinã in‑ ſtituit. Atqui idem hic ceu corona quędam & ueræ doctrinę, orthodoxæ & incorruptæ ſententiæ qua ſi princeps ac eximium decus apud omnes fideles ſemper habitus eſt. In libris enim de Doctr. Chriſt. in Tractat. ſuper Ioannem, in Epiſtolis & alibi di ligenter docet, ne ſignum pro ipſo ſignato accipia mus: & quod ſignis propter analogiam & ſimili‑ tudinem ſignati nomen tribuatur, nec tamen illud ipſum reuera eſſe, quod dicuntur: item quod Chri ſti corpus ad Dexterã Dei in cœlis certo loco conti neatur, in terris hiſce corporaliter non ſit amplius, in Sacramento autem ſpiritualiter & ſacramenta‑ liter percipi ſoleat: quod deniqꝫ qui infidelis eſt, pa nem quidem Domini (quemadmodũ Iudas) non autem ipſum Dominum manducet. Cæterum hac de re fidelis ille & omni eruditione excellentiſſi‑ mus Chriſti miniſter D. Ioan. Oecolampadius P. M. libros aliquot cõſcripſit & ædidit, in quibus cla riſſimis demonſtrationibus euicit, quod & uetu‑ ſtiſſimi eccleſię doctores ſimplicem hanc, quam ha ctenus expoſuimus, de Domini Cœna doctrinam tradiderint.

Præterea, ſacræ ſcripturæ ſententia in huius arti

culi

culi tractatione apud Heluetios diligenti ſtudio uentilata & inueſtigata eſt. D. Ioan. Oecolampadius in eodem hoc contra D. Ioan. Eccium in Badenſi diſputatione publice diſſeruit, & ueritati nõ ſine ſumma fide & eruditione teſtimonium tulit. Nec multo poſt Bernæ quoq; inſignis ſanè diſputatio & uere Chriſtianum colloquium inſtitutum eſt, ad quod multi eruditiſſimi doctiſſimiq; uiri ex plurimis uere Chriſtianis urbibus conuenerunt, et illic quidem ſequens hæc propoſitio contra Pontificis ſimul & Lutheri opinionem uere & orthodoxe aſſerta eſt: *Diſputatio Bernenſis.*

Chriſti corpus & ſanguinem ſubſtantialiter & corporaliter in pane euchariſtiæ percipi, nullo Biblicæ ſcripturæ teſtimonio euinci & demonſtrari poteſt.

Et ab eo tempore, quo diſputatio illa finita & tranſacta eſt, nemo prodijt, qui Chriſti corpus & ſanguinem ſubſtantialiter & corporaliter in pane hoc ſuſcipi, certis ac ſolidis ſacræ ſcripturæ teſtimonijs euincere potuerit. Aeternæ igitur & inuictæ ueritati etiamnum innitimur, ut qui non ſuper arenam & humanam authoritatem, ſed æternum Dei uerbum ædificauerimus.

Et hactenus quidem Domino Deo noſtro ac ueritati æternæ confiſi hac confeſſione noſtra nos abunde ſatis demonſtrauiſſe, declaraſſe & euiciſſe ſperamus: quod nimirum noſtra hęc, quam de Domini Cœna tradere ſolemus, doctrina, uere Chriſtiana & orthodoxa. ſacris ſcripturis, ueræ, uetuſtiſ

ſimæ & indubitatæ fidei ac illi, quã catholica Chriſti eccleſia ſequitur, doctrinæ conformis ſit, quod deniq; omnem noſtram fidem atq; doctrinam diuini uerbi authoritate à calumnijs omnibus aſſeruerimus, ſic ut omnibus tandem notũ ſit, nos qui Tiguri ſumus, & ſanctos Chriſti fideles, qui Bernæ, Baſileæ, & ubiuis gentium, tam intra quàm extra inclytæ Heluetiæ limites, doctrinæ, quam modo expoſuimus, conſentiunt & adhærent, Chriſtianos ac uere fideles homines, non hæreticos eſſe, & quod noſtræ eccleſiæ non hæreticæ ſectæ, ſed Chriſtianę eccleſię ſint. Quod ſi quid in noſtra hac Confeſſione uel obſcurius uel ambiguum magis dictum eſt, nõ inuiti omnibus qui illud poſtularint, quoad illud per nos fieri poteſt, omnem ſentẽtiam noſtram clarius exponemus. Scripturę locos, è quibus confeſſio hæc noſtra deſumpta eſt, quibus deniq; fortiſſime nititur, ideo iuxta librorum & capitum diſtinctiones, ut quidam ſolent, non annotauimus, quod fideles ſcripturis ſacris ita nunc aſſueuerunt, ut uel ſuopte ingenio, nihil hic per nos, uel præter, uel contra, uel extra ſcripturam ſacram pronunciatum eſſe, facile animaduertere poſſint.

Lutheri de Cœna Domini doctrina nullo ſolido diuini uerbi uel orthodoxæ fidei fundamento nititur: ſeipſam ſubuertit, nec ueteris fidelium eccleſiæ doctrina eſt.

POSTQVAM uero doctrinæ noſtræ confeſſio hactenus facta, & eadem illa eccleſiarum iudicio expoſita eſt, è diuerſo Lutheri quoq; fidem & doctrinam, non quidē per ſingula eius capita, ſed de Cœna dūtaxat Domini, prout illā in ultima hac Confeſſione ſua ipſe teſtatus eſt, exponemus. Sola enim hæc tantum in ſe offendiculi continet, ut reliqua quoq; eiuſdem & abſurda & uana & offendiculi plena dicta, nequaquam congerere & coaceruare uoluerimus.

Lutheri de præſentia Chriſti in Cœna doctrina.

Et primo quidem de præſentia Domini in Cœna & præſentiæ modo, Lutherus in hac breui ſua Confeſſione ſic pronunciat: Docemus Chriſti corpus non localiter (ut ſtramen ſacco continetur) in Sacramēto eſſe, ſed definitiue, id eſt, certo adeſt, non ut in ſacco ſtramen, corporaliter tamen & uere, quemadmodum in libello meo ſolidiſſime per me demonſtratum eſt. Et hæc quidem Lutheri uerba ſunt, qui alibi noſtros eo nomine accuſat, quod cauſam ſuam nutantem & uitioſam ſarcire, & ſutelis quibuſdam illi conſulere uoluerint. Quid uero eſt cauſam malam & nutantem ſarcire, ſi Lutherus hoc loco cauſam ſuam plus ſatis miſeram non ſarcire ſtudet, idq; tam abſurdis rationibus, ut ſtramineos quoq; ſaccos & centones proferat, quos ni

mis inepte ſarcit ac conſuit, ut infœlix illa hominis in cauſa hac miſeria & inopia manifeſtius conſpici queat? Chriſti corpus (inquit) non localiter, ſic nimirum quaſi certo loco circumſcribatur, in Cœna eſt, uere tamen & corporaliter in Cœna eſt. Hic ergo conſiſtas pauliſper Chriſtiane Lector, & diligenter expendas uelim, quàm probe hoc Lutheri dictum uel ſibijpſi, uel ſcripturis cōſentiat. Nam ſi uerum illud & naturale Chriſti corpus præſens eſt, haud dubie localiter quoq; præſens eſt. Nec enim fieri poteſt, ut uerum & naturale aliquod hominis corpus ſit, quod loco ſuo, quo contineatur, careat. Nuſquam enim eſſe (de corporibus hic nobis ſermo eſt) aliud non eſt quàm non eſſe. Et proprium humani corporis eſt, certo aliquo loco contineri. Vnde & diuus Auguſtinus ad Dardanum ſcribens, dixit: Spatia locorum tolle corporibus, nuſquam erunt: & quia nuſquam erunt, nec erūt. Dominus in euangelio ait, Hoc eſt corpus meum, ſed mox addit, Quod pro uobis traditur. Atqui corpus illud locum ſuum habuit, in quo eſſet, & ubicunque corpus illud fuerit, ibi etiam localiter ſit oportet. Quod ſi ergo in Cœna localiter non eſt, certe nec corporaliter adeſt, & Lutherus ſibijpſi cōtradicens proprijs uerbis ſeipſum quoque mendacij arguit. Quod enim ante CORPORALITER dixit, nunc rurſum negat, cum addit, NON LOCALITER. Si enim poſterius hoc uerum eſt, prius illud uerum eſſe non poterit. Sed & idem corpus à mortuis quoq; reſuſcitatum ſuum

Chriſti corpus non localiter in Cœna, & tamen corporaliter.

τὸ πȣ̃,uel ſuum VBI & IBI,id eſt,locũ ſuum certum,in quo eſſet, & eius proprietatem retinuit. Angelus enim mulieribus Dominũ in ſepulchro quærentibus dicebat,Ieſum quæritis Nazarenum, crucifixum,Surrexit, NON EST HIC. Venite,uidete LOCVM, ubi poſitus erat. Ipſe præcedit uos IN Galilæam, IBI illum uidebitis. Sed de his ſupra quoq; diſputatum eſt. Quapropter ſi uel ipſum corpus Domini glorioſum aut clarificatũ in Cœna eſſet, localiter tamen adeſſet, alioqui corporaliter adeſſe dici non poſſet.

Eiuſdem generis eſt, quod Lutherus præſentiæ modum declarare uolens addit, Definitiue: quod non immerito Germanicis quoq; uerbis dicere debebat: ſed id minus commode poteſt. Nec enim ab apoſtolis aut ex ſcriptis eorum illud didicit, ſed ex miſeris Sophiſtarum lacunis hauſit, ad quas miſer & infœlix homo (cum olim non infœliciter ab ijs liberatus eſſet) denuo confugere cogitur,ut uel aliquid quod dicat habeat, & ſimplicioris ingenij hominibus oculos perſtringere poſſit. Quid obſecro hæc ſibi uolunt: Chriſti corpus in Cœna eſt, non localiter,ſed definitiue? Audiemus uero, quid nam de hoc in eo libro,quẽ hic citauit,diſputet. In Confeſſione ſua magna ſic ſcribit: Secundo aliquid definitiue in loco eſſe dicitur, cum illud ipſum corpus non comprehenſibiliter in loco eſt, nec loci in quo eſt finibus menſuratur, ſed nunc quidem multum,mox uero parum loci occupare poteſt. Locus *Modus præſentiæ.*

quidem corporeus eſt & comprehenſibilis, & iuxta longitudinem, latitudinem & altitudinem menſuratur: ſed quod loco continetur, nõ eandem cum loco ſuo longitudinis, latitudinis & altitudinis menſuram habet, imò longitudinem & latitudinem habet nullam. Et hoc modo angeli & ſpiritus in loco ſunt. Iuxta eundem modum tota diabolorum legio unicum hominem occuparat, Matthæi octauo. Iuxta eundem modum Chriſtus quoque in pane eſt & eſſe poteſt, licet interim ſeipſum & comprehenſibilem & uiſibilem, ubicunq; uult, oſtendere poſſit. Vt enim in obſignato illo monumenti lapide & clauſis foribus nullus uel motus uel mutatio fiebat, interim tamen corpus ipſius eodem in loco erat, ubi ſolidum ſaxum lignúmque erat: Ita in Sacramento quoq; eſt, ubi panis & uinum eſt, ſic tamen ut panis & uinum nullam in ſe ſe mutationem ſuſcipiant, &c. Hæc egregia illa demonſtratio eſt, Chriſtiane Lector, quam Lutherus tanta cum gloriatione hic iactitat, qua tamen ſententiam ſuam euertit potius quàm confirmet. Si enim modus ille Definitiuus ſpirituum proprie eſt, & Chriſti corpus definitiue in Cœna eſt, illud equidem neceſſario ſequi oportet, quod Chriſti corpus in ſpiritum iam tranſierit, quantitate ſua quam prius habebat, prorſus amiſſa. Quod ſi autem hoc uerum eſt, quorſum hæc Chriſti uerba referenda erunt, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur? Clarificatum equidem Chriſti & fidelium

ſuorum corpus, ſpirituale corpus dicitur (ut ſupra annotatum eſt) non autem idcirco ſpiritus eſt, ſed iuxta quantitatem quoque ſuam uerum corpus manet. Multo minus ergo de eodem corpore, tunc cum mortale adhuc fuit, cogitari poteſt, quod ſpiritus fuerit. Atqui de eodem illo Dominus loquitur, cum ait: Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur. Cum itaque Chriſti corpus nec in ſpiritum tranſierit, nec quantitate ſua uel magnitudine careat, modus ille, iuxta quem ſpiritus in loco ſunt, illi nequaquam competere poteſt: unde uel hic quoque poſterius illud quod de modo definitiuo dicitur, prius quod de corporali præſentia dictum eſt, ſubuertit & confutat. Præterea, etiamſi Chriſti corpus, iuxta eum modum in Cœna eſſet, quo ſpiritus & angeli in loco ſunt, definitiue ſcilicet, nihilominus tamen non niſi uno in loco, non ubique ſimul eſſet. Nam & ſpiritus & angeli locos ſuos proprios habent, ſic ut dum uno in loco ſunt, nequaquam & alibi ſimul ſunt, multo minus ubique ſunt. Lutherus ergo hoc ſuo definitiuo modo nequaquam demonſtrauit adhuc, quod Chriſti corpus corporaliter ubique ſit, ubicunque per uniuerſum Chriſtiani nominis orbem Cœna celebrari ſolet, quod ipſum tamen ſe ſolidiſſimis rationibus demonſtrauiſſe arbitratur. Quod ſi uero modum hunc definitiuũ rurſus deſerere, interim tamen (ut uerum & naturale Chriſti corpus ubiq; locorum in Cœna eſſe demonſtrare queat) dicere uoluerit, Chriſti hu

manitatem perinde ut diuinitatem ipſius ſimul u-
biq; eſſe, iam Catholicæ eccleſiæ ſententia, qua Eu
tyches olim damnatus eſt, ipſi quoq; imminet, &
eadem ipſe damnatur. Et hic quidem ad propria
ſua ſcripta Lutherum ablegamus, monemusq; ut
quid ab ipſo quondam dictum ſit, probe conſyde
ret. Ad Marchionē enim ſcribens inter alia ſic ait:
Mallem equidem non modo omnium phanatico-
rum ſpirituum, ſed & omnium Imperatorum, re-
gum & principum ſapientiam & leges contra me
teſtimonium ferre, quàm uel unicum ſanctæ ca-
tholicæ eccleſiæ iota aut apicem aduerſus me pro-
ditum audire uel cernere. In fidei enim articulis,
qui ab initio ſimul per uniuerſum Chriſtiani no-
minis orbem unanimi conſenſu recepti & ſeruati
ſunt, nequaquam, ut in Pontificijs & Cæſareis le-
gibus uel alijs humanis uel patrum uel Concilio-
rum traditionibus, ludere conuenit, &c. Hæc Lu-
therus. Propius ergo nunc ſuum ipſius ſinum in-
ſpiciat, Deo & ueritati det gloriam, & ne Catholi-
cæ eccleſiæ ſententia cum Eutyche damnetur, ca-
ueat.

Num Chriſti corpus lapidem obſignatū & clauſas fores penetrauerit.

Porrò loci, quos de obſignato ſepulchri lapide & clauſis foribus citauit, Lutheri ſententiam ne-
quaquam comprobant. Et nos quidem ſic reſpon-
dere poteramus: Dominus in Cœna ait, Hoc eſt
corpus meum, quod pro uobis traditur: Loci uero
iſti ſupra citati de clarificato corpore dicti ſunt. Sed
omiſſis his ſic reſpondemus. Vt in ſepulchri lapi-
de & clauſis foribus Domini corpus contentum

&

& concluſum fuit, ita etiam in Cœna eſt. In lapide uero & ipſis foribus corporaliter non fuit: ergo nec in Cœna corporaliter eſt. Chriſti corpus enim in ipſo ſepulchri lapide aut foribus contentum fuiſſe, ſcriptura nuſquam meminit. Angelum uero cœlitus deſcendiſſe, lapidem à ſepulchro deuoluiſſe, & ſuper eundem conſediſſe tradit. Et lapidem hunc à ſepulchro deuolutum mulieres inuenerunt. Sed & Ioannes euangeliſta de clauſis foribus, non ut miraculo quodam ſcribit, quaſi uidelicet duo corpora in uno & eodem loco ſimul fuerint, uel Chriſti corpus cum ipſis foribus fuerit unitum, ſed fores (inquit) erant clauſæ, eo quod diſcipuli, tunc in unum locum collecti, Iudæorum uim & tyrannidem pertimeſcerent, & cum fores clauſæ eſſent, uenit Ieſus. Nihil ergo hic dicitur, quod per clauſas fores corpore ſuo penetrarit. At cum fores (inquis) clauſæ eſſent, quo pacto per illas ingreſſus eſt? Ridiculum. Quo pacto priuſquam moreretur illorum manus effugit, qui ipſum de monte præcipitem daturi ducebant? An non angelos ſibi miniſtrantes ſemper habuit? Vel, quo pacto è carcere liberati ſunt diſcipuli, cum tamen craſtino die fores clauſas miſſi miniſtri inuenirent? Angelus fores reſerauiſſe dicitur, & num idem ille Chriſto domino fores aperire non potuit? Vel num decet, ut uerum Chriſti corpus uere reſuſcitatũ à mortuis per huiuſmodi ſomnia Marcionico modo ſuſpectum reddamus, quaſi phan-

Luc. 4.

Act. 5.

taſma potius, quàm uerum corpus ſit? Chriſti corpus à mortuis reſuſcitatum uerum corpus eſt, & uerum corpus manet, unà cum omnibus corporeis proprietatibus ſuis, ab omni tamen morbo aut infirmitate liberum. Diuus Hieronymus ad Pammachium contra Ioannem Hieroſolymitanum epiſcopum de erronea Origenis doctrina, quam hæreticam eſſe dicit, ſcribens, ipſum hoc modo docuiſſe tradit: Paulus inquit, Transfigurabit dominus corpus humilitatis noſtræ, conforme corpori claritatis ſuæ gloriæ. Quando dixit, transfigurabit, id eſt, μετασχηματίσει, membrorum quibus nunc utimur, diuerſitas denegatur. Aliud nobis ſpirituale & æthereum promittitur: quod nec tactui ſubiacet, nec oculis cernitur, nec pondere prægrauatur: & pro locorum in quibus futurũ eſt uarietate mutabitur. Et paulò poſt hæc quoq; Origenis uerba citat: Nec uos, ò ſimplices, reſurrectio domini decipiat, quod latus & manus monſtrauerit, in littore ſteterit, in itinere cum Cleopha ambulauerit, & carnes & oſſa habere ſe dixerit. Illud corpus alijs pollet priuilegijs, quod de uiri ſemine & carnis uoluptate non natum eſt. Comedit poſt reſurrectionem ſuam & bibit, & ueſtitus apparuit, tangendum ſe præbuit: ut dubitantibus apoſtolis fidem faceret reſurrectionis. Sed tamen non diſſimulat naturam aerei corporis & ſpiritualis. Clauſis enim ingreditur oſtijs, & in fractione panis ex oculis euaneſcit. Hæc omnia Origenis uer-

ba ſunt, quæ diuus Hieronymus ut catholicæ fidei contraria copioſe ſimul & multis ſolidis demonſtrationibus confutat, è contra autem non minus ſolidę aſſerit, quod corpus à mortuis reſuſcitatum, uerum, uiſibile, & tactui ſubiacens corpus, non phantaſma nec ſpiritus ſit. Quod uero clauſis ingreſſus ſit oſtijs, diuinæ uirtutis opus fuiſſe tradit, qua & Petrus antea mortali ſuo corpore ſuper aquas ambularit. Et multis demonſtrat reſuſcitatum illud corpus non propterea ſpiritum, ſed uerum corpus eſſe. Quapropter idem quod & ante dicimus: Si Chriſti corpus à mortuis excitatum, uerum corpus eſt, quod & formam & quantitatem & reliquas humani corporis proprietates (citra omnem tamen infirmitatem) ſeruat & retinet, ſi denique tactui ſubiacet, Lutherus certe horum locorum teſtimonijs nihil demonſtrauit, ſed nec eo modo, quo ſpiritus in loco eſſe dicuntur, CHRISTI corpus in loco eſſe poterit, niſi fortè Lutherus contra catholicæ fidei orthodoxam ſententiam Origenis dogma reducere & tueri uelit. Lutherum ergo ſuam illam ueri corporis Chriſti in cœna præſentiam & corporalis huius præſentiæ modum nullis ſcripturæ ſacræ locis approbauiſſe, ſed Sophiſticis quibuſdam nugis (non localiter, ſed definitiue) ſuum ipſius ſermonem ſimul & ſententiam ſubuertiſſe, conſtat. Huiuſmodi ergo ſententiam, nullo ſolidæ argumentationis funda-

mento nitentem nos nequaquam recipere uel ad‐mittere poſſumus.

Num boni & mali ue‐rum Chri‐ſti cor‐pus come‐dant.

Secundo loco Lutherus in ultima hac Cōfeſſio‐ne ſua quo pacto & à quibus Domini corpus in cœna manducetur, hoc modo docet: Domini pa‐nis uerum & naturale Chriſti corpus eſt, quod im‐pius quoq; uel Iudas non minus ore ſuo, quàm Pe‐trus & omnes ſancti, ſuſcipit. Nos uero hoc do‐gma ipſius, ut uanum ita offendiculi plenum, non immerito ſummopere abominamur. Quid enim hinc aliud colligi poteſt, quàm quod Chriſti cor‐pus ore manducatum in corporis cibum conuer‐tatur? Ad manum ſunt nobis clara & perſpicua di‐uini uerbi teſtimonia, quibus Lutheri ſententiam oppugnamus. Dominus inquit: Quiſquis carnem meam comederit, & ſanguinem biberit, habet ui‐tam æternam, & manet in me, et ego in ipſo. Impij in Chriſto non manent, nec Chriſtus in illis, ſed et uitam habent nullam: Chriſti corpus ergo non edunt. Scimus quid hoc loco Lutherus obijciat: Magnum (inquit) inter ſextum Ioan. cap. & ipſam cœnam diſcrimen eſt. Illic enim ſpiritualis mandu‐catio abſq; corporali deſcribitur. In cœna aūt ſpiri‐tualis mãducatio eſt, ſed ſolis fidelibus, interim ue‐ro corporalis q̊q; eſt, fidelibus ſimul & infidelibus cōmunis, &c. (Niſi fortè per corporalē mãducatio‐nem illã quæ ſacramentaliter & externe fit intelli‐gat, quod ipſum tamē non fatetur.) Sed oīa hæc Lu‐theri nugæ ſunt & ſomnia, quę nullis diuini uerbi

teſtimonijs comprobare poteſt. Verba enim hæc, Hoc eſt corpus meum, ipſi neutiquam ſeruire, ſupra abunde ſatis comprobatum eſt. Sed & unicus duntaxat, iuxta quem Domini corpus uere manducatur, modus eſt, ſpiritualis nimirum per fidem. Quapropter infideles, quia fide carent, Chriſti corpus non manducant, nec in Chriſto manent, nec Chriſtus in ipſis, & proinde uitam quoq; non habent. Vera illa, de qua hactenus diximus, corporis Chriſti manducatio ſemper prodeſt. Ipſa enim ueritas inquit, Qui me manducarit, uiuet. Nihil ergo quàm effugia & contentioſæ contra ueritatem altercationes ſunt, quicquid his contrarium affertur, Iudam uidelicet uerum corpus corporaliter manducare, ſine fructu tamen, &c. Certum enim, ſolidum & æternũ eſt, quod Dominus dixit, Qui me manducarit, uiuet. Et quisnam uita hac fructus maior & excellentior eſſe poteſt? Conſtat etiam impios Chriſti corpus eatenus duntaxat manducare, quatenus Dominicus ille panis Chriſti corpus nominari conſueuit, ſacramentaliter nimirum. Quapropter Paulus apoſtolus diſertis uerbis inquit: Quiſquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indigne (en ut non iuxta Lutheri expoſitionem dicat, Qui corpus & ſanguinem Chriſti indigne ederit & biberit, &c. hæc enim indigne, id eſt, ſine fide nunquam manducari & bibi poſſunt) reus erit corporis et ſanguinis Domini. At quomodo in nudo pane & uino, id eſt, in ſolo Sacramento, peccare quis poteſt? Non in Sacramentum mo-

Quomodo impij corpus Chriſti edant.

do, ſed in illud quoq;, cuius Sacramentũ eſt, in corpus uidelicet (ut Paulus inquit) & ſanguinem Domini peccatur, non quidem quia hæc comedit, ſed quia non per fidẽ comedit, & Dei donum aſpernatus eſt. Qui fit enim, ut mortem meruiſſe dicatur, qui non ipſum principem, ſed tabulas principis ſigillo obſignatas in lutum abiectas conculcauit? Diffidentia ergo & incredulitas culpa illa eſt, quæ pœnam iure meretur. Et ſic quidem ſola incredulitas condemnationis cauſa eſt, quemadmodum & ſola fides unicam ſalutis uiam miniſtrat. Aliȷs ergo hoc perſuadere conetur Lutherus, ut nimirum uerum Chriſti corpus ab ipſo Iuda quoq; & infidelibus manducari credant. Nec enim ex ſcripturis, ſed è Scholaſticorũ lacunis & Lombardo ſuo, qui multas ueterum ſententias ſecus quàm deceat in hac re adducit, illud didicit. Auguſtinus certe eos ſolummodo Chriſti corpus manducare & ſanguinem eius bibere dicit, qui in ipſo manent, & ille in ipſis: eos uero, in quibus Chriſtus non manet, nec ipſi in Chriſto, corpus eius ſpiritualiter non manducare, licet corporis & ſanguinis ſignum uel Sacramentum corporaliter ac uiſibiliter edant & bibant. Non ergo, ut Lutherus, illos Chriſti corpus corporaliter, ſed corporis ſacramentũ uel ſignum comedere, docet. Qui plura de his uidere uolet, Auguſtinum legat, Tractat. in Ioannem 26. & lib. de Ciuit. Dei 21. cap. 25. &c.

Iudas edit panem Domini, non panem Dominum.

Innocent. 3. de Sacr. alt. lib. 4. cap. 13. & 14.

Num Chriſti corpus

Tertio, Lutherus ſuã ſimul & pontificis doctrinam nonnihil ornare & fuco quodam uenditare

ſtudet,

ſtudet, ſic dicens: Nec nos nec Papiſtæ tam craſſi & ſtupidi ſumus, nec etiam tam ueſani & mente capti homines, qui Chriſtum in Sacramento localiter eſſe ſentiamus, & particulatim, ut lupus ouem, deuorandum, ac ſanguinem eius, ut à uacca aquã, hauriendum eſſe arbitremur. Qui ab altari panem ſuſcipit, non brachium à Domini corpore laniat, nec naſum ipſius morſu abſcindit, ſed totũ domini corpus accipit: ſimiliter qui de poculo bibit, non guttam aliquam ſanguinis ex Domini digito uel pede, ſed totum eiuſdem ſanguinem haurit: quemadmodum in Miſſa quoq; de ſacroſancto Domini corpore olim inter alia cantatum eſt, Sumit unus, ſumunt mille: quantum iſte, tantum ille: nec ſumptus abſumitur. Nec enim dixit Dominus: En tibi hunc meum digitum Petre, iſtum deuora: & tu Andrea naſum tibi ſumito, Ioannes uero has aures meas uorato, &c. En Chriſti fideles ſanctiſſimi q̃ pure, honorifice & modeſte (ſi dijs placet) Lutherus de Sacramentis diſſerat, quemadmodum in Enarrationibus quoq; ſuper Geneſim cõſcriptis baptiſmi aquam iuxta naturam ſuam perinde atq; eam eſſe ſcribit, quæ à uacca hauritur. Et hæc quidem illius tam fœde & abſurde dicta omnibus arridere debent? Quod ſi nos iſtiuſmodi locutionibus uteremur, Deum immortalem, quibus eas exagitaret conuicijs? Tunc demum nos Sacramentorum hoſtes & prophanatores eſſe, ut qui nimis leuiter & fœde de ipſis diſſerere ſtuderemus, uociferaturus eſſet. Errat uero Lutherus, ſi fanaticorum improbi-

craſſo modo manducetur.

tatem huiuſmodi locutiones ſibi extorquere dicit. Per ſe enim plus ſatis obſcenus eſt, & alijs quoque tam fœde & obſcene loquendi occaſionem miniſtrat. Cum enim uulgus Lutheri de corporali ueri & naturalis corporis Chriſti præſentia & eiuſdem mãducatione corporea ſententiã audit, quid aliud de hac uel dicere uel cogitare poteſt, quàm quod facere uel dicere ſolet, Chriſtum nimirum corporaliter dentibus quoq; conterendum, & per os in uentrem demittẽdum eſſe? Lutherus enim omnes eos, qui Domini panem naturale Chriſti corpus eſſe, et in cœna corporaliter ipſo ore quoq; manducari credere nolũt, damnat, nec nos de ſpirituali fidei manducatione, & de ea quæ ſacramentalis eſt, diſputantes audire dignatur. Hoc enim ipſi neququam ſufficit, ſed nimis tenue & abiectum uidetur, & corpoream omnino, quæ ore fiat, manducationẽ urget. Rurſus uero, cum uerba ipſius iuxta proprium ſenſum accipiuntur, & ſpiritualis manducationis nulla amplius fit mentio, ſed carnaliter ac corporaliter de hiſce diſſeritur, denuo furit, nec ferre poteſt ut de carnis manducatione quicquã dicatur, ut qui nec Capernaita nec Sarcophagus eſſe uelit. Et q̃d nam hæc ſibi uolunt? Vel quis hominum quo pacto loquendum ſit, & quomodo Chriſtum manducare oporteat, intelligit? Miſera me hercle & inaudita res eſt, aliquid diſertis uerbis et expreſſis dixiſſe, nec tamen ut proprie accipiatur uelle permittere. Panis ipſum Chriſti corpus corporaliter et ſubſtantialiter dici & credi debet, interim idem ille panis eſſentia-

liter

liter & uere panis remanet. Mentiri & Chriſti uerba peruertere dicuntur, qui Chriſtum eo modo panem dici docent, quo & agnus & petra & uitis nominatur. Et uerba hæc, Hoc eſt corpus meum, nec ſpirituali nec ſacramentali, interim tamen nec craſſo quoque illo, ſenſu exponi debent. Quas enim hic, Deum immortalem, turbas contra eos Lutherus mouet, qui Deum impanatum uel aliud quidpiam huiuſmodi dicere conſueuerunt, interim tamen ipſe quoque panem Chriſti corpus, nec ſacramentũ modo aut ſanctum corporis ſymbolum, ſed ipſiſſimum & naturale Chriſti corpus corporaliter & uere eſſe clamitat, non ſine noua & inaudita hactenus intemperie uerbum illud, EST, EST, EST ſubinde ingeminans. Et in his nec in ſcriptura ſacra, nec in ulla lingua aliquem Tropum unquam fuiſſe clamitat. Adhæc, Chriſti corpus in cœna non ſpiritualiter modo, ſed corporaliter quoque & ipſo ore manducari ſentiendum eſt, interim tamẽ Chriſti corpus in uentrẽ quoque hominis per eſum hunc demitti, dicere nephas eſt. Chriſti corpus quod in cruce pependit, corporaliter manducari debet, nec tamen quiſquam hominũ hic carnem & oſſa manducari dicere, nemo etiam de his carnaliter, ut de rebus corporeis diſputare debet, alioqui à Luthero aſinus, porcus, craſſus & impius Suermerus uel fanaticus non ſine immani furore dicetur. Vos ergo hic pronunciare uolumus, ô Chriſti fideles, qualis nam hic modus & qualis hæc ſententia ſit. Haud dubie panis Domini artocreon quoddam uel pa-

nis carneus erit, & hic quidem uel carneum quendam ſpiritum, uel ſpiritualem quandam carnem, uel neutrum ex his, ſed medium quoddam eſſe oportet, quod nec caro nec ſpiritus, ſed aliud quidpiam ſit, quod nemo hominũ quid nam ſit explicare poteſt. Aliter certe de his ſentire non poſſumus, quàm quod Lutherus cum ſuæ partis hominibus mundum ita perſtringere conetur, ut uidentibus oculis nihil uideat, & eam cauſam mundo non iam perſuadere, ſed obtrudere, in cuius tractatione ita impliciti ſunt, ut nec ipſi, quid nam ſit, intelligant.

Num Lutheri ſententia adeo craſſe accipi debeat.

Obijciunt hic quidam: Craſſis quidem uerbis Lutherus utitur, interim uero non aliud dicere uult, quàm quod fidelis quidem anima uerum Chriſti corpus uere per fidem manducet, os uero fidelis ueri corporis Sacramentum ſuſcipiat, cui poſtea propter analogiam omne illud tribuatur, quod ueri corporis proprium eſt. His uero nos reſpondemus hoc modo: Audimus equidem amicam hanc Lutheranæ ſententiæ complanationem, interim uero quid Lutherus quoque dicat, & quàm clara & expreſſa ipſius uerba ſint, non ignoramus. Senſum ergo non alium quàm uerba præ ſe ferunt elicere poſſumns, in primis cum ea ſit Lutheri moroſitas, ut nec ſemper nec ab omnibus uerba ſua exponi uelit. Sed quorſum tanta uerborum copia & tam urbanis & ſplendidis expoſitionibus opus eſt? Quod ſi ſenſus alius non eſt, quàm quod fidelis anima interna & ſpirituali manducatione,

per

per fidem uerum Chriſti corpus, ipſo ore autem eiuſdem corporis Sacramentum uiſibiliter manducetur: quin diſertis & expreſſis uerbis negotium omne exponitur, ut à quouis eius ratio digne & plene poſſit intelligi? Si hæc quoque eius eſt ſententia, non equidem decet ut Satanæ tradat Lutherus omnes eos, qui ſententiam hanc ſequi ſolent. Ad hæc, quorſum hæc tam craſſa uerba pertinent? Panis ipſum naturale corpus eſt corporaliter. Panis eſſentialiter panis eſt, ſimul tamen eſſentialiter quoq; corpus Chriſti eſt, ſic ut carneus panis non immerito dici poſſit. Dominus tactui non amplius ſubiacet, nec illum unquam apprehendes, niſi ſeipſum tibi obſtringat, & te ad peculiarem quandam menſam per uerbum ſuum inuitet. Hoc autem per ipſum fit, cum inquit, Hoc eſt corpus meum. Cum hoc comedis, corpus meum comedis, aliâs uero nequaquam. Quam ob rem? Eò quod uerbo meo huc me affigere inſtitui: ne hinc inde palpando me ubique locorum inueſtigare cogaris. Hic enim præſens ſum, &c. Hæc & alia huius generis & craſſe & contra ueritatem dicta parumq; ſacramentaliter in Lutheri libris leguntur. Et quid nam qui ſimplicioris ingenij ſunt homines aliud ex his colligere poſſunt, quàm quod æque abſurdum eſt. Ex abſurdo abſurdum ſequi ſolet, Quod ſi minus ferre uolunt iſti homines, ſic ut decet de rebus hiſce loquantur. Quàm diu enim ſimplices excruciare & hinc inde diſtrahere lubet, dum uidelicet nunc huc nunc illuc torquentur ſin

Fleiſch-brot.

gula? Nunc Chriſti corpus corporaliter adeſt, & mox idē illud nō corporaliter adeſſe dicitur. Nunc per fidem ſpiritualiter manducatur, & mox illud quoq; nimis leue uidetur, & amplior quædā confeſſio requiritur. Quod ſi is dogmatis huius ſenſus eſt, quod totum illud naturale Chriſti corpus in cœna uere & corporaliter præſens ſit & ore hominis manducetur (quemadmodum Lutheri uerba palàm teſtantur) craſſas quoq; & abſurdas, quæ ex doctrina ſua plus ſatis abſurda ſequi ſolent locutiones æquanimiter & patienter ferat. Sed & nemo erit, qui abſurdū hoc Lutheri dogma aliqua ueritatis ſpecie uelare aut excuſare queat, nec etiam diuini uerbi teſtimonio idem illud unquā aſſeret. Cum ueritate enim humanæ in Chriſto naturæ, quam in gloria quoque obtinet, & uera fide ex diametro pugnat.

Quomodo totus Chriſtus à ſingulis fidelibus poſsit percipi.

Qua ratione uero Lutherus abſurdis iſtis conſequentijs obſiſtere poſſit, ne ex ſua iſta corporali præſentia & mãducatione aliquo modo colligantur, ipſe uiderit. Nos nequaquã docemus, quod qui Domini menſam accedunt, brachiū ex corpore Domini lanient, uel aliquod eiuſdem membrum mordicus inuadant, ſed et uerba huiuſmodi, ſimul cum occaſione ex qua illa oriri ſolent, cruda & abſurda uehemēter abominamur: & diuina ſic fauente gratia ipſam ueritatem ſecuti euidenter & perſpicue demonſtrare poſſumus, quo pacto totus Chriſtus non diuiſus, uerus Deus & homo, in fidelium cœna præſens ſit, & ab ijſdem manducari ſoleat. Vera

fides,

fides, qua Dominus manducatur, totū Dominū, uerum Deum & hominem, non diuiſum, cōprehendit, illi confidit, & ſe totam ipſius gratiæ & uoluntati cōmittit. Et totus ille Dominus Ieſus Chriſtus non unicum modo ipſius membrū aut portio, fideles in ſui conſortium clementer ſuſcipit, iuuat, ſolatur, purificat, peccatorum remiſſionem confert, totus deniq; in fidelibus ſuis operatur & uiuit, ſic tamen ut nihilominus humana natura in ſua proprietate uel conditione inconfuſa et inuiolata permaneat, nec ut illa quoque ibi præſens ſit oportet, ubi auxilium hoc & Chriſti operatio ſentitur. Poſſumus hic ut multa ſic clara quoque & perſpicua ex Euangeliſtarum ſcriptis exempla producere. Totus ille Chriſtus, non diuiſus, uerus Deus & homo, Centurionis famulo uere medetur, ut Matthæi 8. cap. uidere licet. Idem ille non diuiſus Chriſtus Reguli filio opem fert, Ioan. 4. Atqui corpus Chriſti in loco ſuo manens neutrum ex iſtis corporaliter adijt. Vterque uero Domini uerbis fidem habens totum Dominum animo ſuo comprehenſum poſſidebat. Quemadmodum tam in cœna, quàm extra hanc totus Dominus per fidem nobis unitur, & nos cum illo. Et ut nec Matthæus nec Ioannes indiuiſam Chriſti perſonam idcirco ſcindere dici poſſunt, quod Chriſtum neutrum ex ijs corporaliter acceſſiſſe, eundem uero illum, non alium, Chriſtum utrique ſubueniſſe teſtantur: Ita hic quoq; Chriſtus nequaquam ſcinditur, dum uerum illius corpus iuxta humani cor-

poris naturam & proprietatem in cœlis uno in loco agere, eundem uero Chriſtũ, non alium, in cœna quoq; fideles ſuos paſcere, ſolari, purgare, in illis uiuere & eoſdem ſibi unire docemus. Solis globus per circulum ſuum cœleſtem motu ſuo fertur, & locum certum in illo occupat, interim tamen idem ille ſol homines radiorum ſuorum ſplendore perfundit, exhilarat, & calore ſuo fouet, globo ſolari nunquam in terras haſce deſcẽdente: Similiter & Chriſtus corpore ſuo uero in cœlis, non in terris hiſce, agit, nihilominus tamẽ idem ipſe fideles exhilarat & conſeruat. Et hoc quidem modo nõ obſcure docere poſſumus, ut totus Chriſtus, non diuiſus, ſuis adſit, & ut fideles ſinguli toto Chriſto, nec dilaniato nec in fruſta diſſecato fruantur. Et hanc quidem ſententiam fideles quoq; intelligunt, utpote quæ ſimpliciſſimæ ueritati & ſibijpſi per omnia conformis ſit. Lutherus autem, ſuam illam ſententiam nunquam ita explanare poterit, ut intelligant hoĩes quo pacto naturale Chriſti corpus corporaliter ubiq; præſens ſit, & ipſo ore, incorruptibiliter tamen, manducetur. Iam olim enim effugia quærere & fugam moliri cœpit: Cum uidelicet in primo ſtatim congreſſu attonitus hæſerit, quid diceret neſciens, neque adhuc aliud reſpondere potuerit, quàm, Dei hęc uerba ſunt clara & perſpicua, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. His nitor, his credo, & doceo, quod Chriſti corpus in cœna uere & corporaliter manducetur & recipiatur. Qua ratione autem hoc fiat, & quomodo pa-

Lutherus tenebris implicat ſuos, & dogmatis ſui rationem non nouit.

ne hoc

ne hoc corpus Domini contineatur, ipſe nec ſcio nec ſcire debeo: nec enim id nobis diuinitus iniunctum eſt, ut quo pacto panis noſter Chriſti corpus fiat & ſit, curioſius ſcrutemur. In tenebris & occluſis oculis hic ambulare cõuenit, &c. Hæc enim omnia Lutheri uerba ſunt, quæ in libro contra fanaticos ſpiritus conſcripto & in Confeſſione eius leguntur. Quàm ſolide uero & firmiter (ſi dijs placet) Chriſti uerbis, Hoc eſt corpus meum, nitatur, ſupra abunde ſatis demonſtratum eſt.

Et hoc quidem ultimũ eius effugium non obſcure arguit, ipſum ita implicitum hærere, ut uani ſui dogmatis nullam fide dignam rationem amplius reddere poſſit. Iuxta fidẽ quidem & ſpiritualis manducationis ſenſum, qui per nos hactenus traditus eſt, ferri poteſt quod Aquinas cecinit, Sumit unus, ſumunt mille, &c. Quàm minime autem ad humanæ naturæ ueritatem & proprietatem, corporalem quoque manducationem referri poſſit, nemo ignorat, niſi qui nec quicquam ſcire, nec fidei articulos expendere uoluerit.

Quarto, Lutherus in hoc ſuo de Sacramento dogmate ad Papiſtarum partes tranſit, dicens: Sic Papiſtæ docent, & nos cum ipſis ſimul, &c. Et hic quidem ſatis mirari non poſſumus, Lutherum uel in his ſaltem ijs ſeſe coniungere, in quorum caput tantumnon tota conuitiorum plauſtra exonerat. Pontificem enim nec Deum nec Chriſtum habere, ipſiſſimum diabolum, plenum hæreſeum, infeſtiſſimum Chriſti hoſtem & uerum illum Anti- *Lutherus ad Papiſtas trãſit.*

chriſtum eſſe dicit, qui ſeipſum Chriſtianæ eccleſiæ caput, imò culum potius (cōdonate hoc nobis, ô fideles, quod tam fœda & ſpurca Lutheri uerba recitare cogimur) & podicem diaboli, per quē tanta Miſſarū abominatio, tanta Monachorū copia & omnis generis uitia in mundum cacata ſint, conſtituerit. Et cum his iam copias iungit Lutherus, qui & nos non aliā ob cauſam perſequi conſueuerunt, q̄ quod Chriſtum, non Pontificem, caput noſtrum agnoſcimus, & quod Chriſtum ſolum cum uerbo ſuo amplexi doctrinam noſtram non Romano, ſed apoſtolico more (quemadmodum ſupra in Confeſſione noſtra expoſitum eſt) eccleſijs tradimus. Quin centies potius cremari uult Lutherus quàm ut in doctrina nobiſcū ſentire uelit, eandem uero cum Pontificijs doctrinā ſequi & tradere non dedignatur. Piorum ergo hic eſto iudicium, quàm bona fide Lutherus agat, & num citra priuati affectus intemperiem ita furiat.

Porrò hunc cum Pontificijs cōſenſum haud dubie hac ratione excuſare inſtituet, quod nō ad Pontificem uel Pontificios trāſeat, ut qui Pontificij hic ſint, ſed qui in hoc Sacramenti articulo ueterem & orthodoxam Chriſtianæ eccleſiæ doctrinam retinuerint. Sacramentum enim non à Pontifice inuentum uel inſtitutum eſſe, & nos idem neceſſario fateri oportere dicit, & in Papatu eam doctrinam traditam eſſe, quam & ipſe adhuc retineat & ceu orthodoxam ueteris Chriſtianæ eccleſiæ doctrinam, quę ab annis iam 1500. durauerit, tradat: nempe, quod

pe, quod non digitus modo, ſed totum Chriſti corpus, nec gutta duntaxat ſanguinis è digito expreſſa, ſed totus Chriſti ſanguis in Sacramento accipiatur, & quod Chriſti corpus in Sacramento non localiter, ut ſtramen in ſacco eſt, ſed definitiue ſit. His uero nos ad hunc modū reſpondemus. Quod Lutherus ſe ita ſentire & docere teſtatur, ut in Papatu doceri ſolitum ſit, Papiſtis excutiendum relinquimus, num uidelicet modum illum definitiuum & alia Lutheri de hoc articulo dogmata admittere & boni conſulere uelint. Nos equidem, omnes, qui uere Papiſtæ fuerint, palàm dicturos credimus, Lutherum de Sacramento nequaquam cum ipſis ſentire, nec ita de hoc docere, ut eccleſia in Papatu credere & docere inſtituit. Lutherus enim in Confeſſione ſua maiori ſic ait: Non multum equidem contendo, an panis ſubſtantia maneat uel minus, quamuis panem manere cum Vuiclepho ſentiam. E contra cum Sophiſtis quoque ſentio, quod & Chriſti corpus præſens adſit, & quod duæ diſtinctæ ſubſtantię una ſubſtãtia eſſe poſſint. P. Lombardus aūt in Sententijs diſtinct. 11. quoſdā ſuo ſæculo & antea quoque fuiſſe perhibet, qui & ipſi, panem quidem in ſua ſubſtantia manere, nihilominus tamen uerum quoque Chriſti corpus adeſſe, ſenſerint: contra hos uero ſpecies quidē panis & uini, non autem ſubſtantiam, manere concludit. Innocentius 3. de Sacram. alt. lib. 4. cap. 9. Lutheri quoq; ſententiam, ſed non ut catholicā eccleſiæ doctrinā adducit, Innocentium ſanctus ille

Papiſtica doctrina Lutheri de Sacramento ſententiā non fert.

(ut ipſi dicunt) doctor Thomas de Aquino ſequitur, qui in 4. ſcript. diſtinct. 11. Quæſt. 1. eorum qui panem in Sacramento panem manere credunt, ſententiam non inconuenientem modo, ſed impoſſibilem quoque & hæreticam eſſe tradit. Et huius quidem iudicij ſui cauſas aliquot enumerat. Et quamuis Ioan. Scotus 4. ſcript. diſtinct. 11. Quæſt. 3. cauſas illas à Thoma citatas infirmiores eſſe demonſtret, ita tamen de Sacramentis ſentiendum eſſe docet, quemadmodum S. Romana eccleſia ſentiat & in Extra. de hæreticis, Ad abolend. traditum ſit: quo in loco omnes iſti damnantur, qui nō per omnia credunt & docent, quemadmodum Romana eccleſia credere & docere conſueuit. Nunc autem (inquit Scotus) tenet ſancta Romana eccleſia panem tranſubſtantiari in corpus, uinum in ſanguinem, ſicut manifeſte habetur Extra. de ſumma trinitate & fide catholica. Firmiter. Conſentit his & Gabriel Biel Lect. in Canon. Miſſæ 40. ſic ſcribens: Quamuis expreſſe tradatur in ſcriptura, quod corpus Chriſti ueraciter ſub ſpeciebus panis continetur & à fidelibus ſumitur, tamen quomodo ibi ſit corpus Chriſti, an per conuerſionem alicuius in ipſum, an ſine conuerſione incipiat eſſe corpus Chriſti cum pane, manentibus ſubſtantia & accidentibus panis, non inuenitur expreſſum in Canone Bibliæ. Vnde diuerſæ fuerūt opiniones antiquitus, &c. Opinio autē ab oībus doctorib. catholicis acceptatur, quod ſubſtantia panis non manet, ſed realiter, ueraciter in ſubſtantiam corporis Chriſti conuertitur,

Decret. lib. 5.

conuertitur, tranſubſtantiatur uel commutatur. Et ſic quidem unanimi ferè conſenſu Scholaſtici illi Theologi fatentur, articulum hunc in priſcis illis fidei articulis nuſquam uel exprimi uel inueniri, utpote nec in apoſtolorum, nec in Athanaſij, nec in Nicenæ Synodi ſymbolo: eccleſiam uero hunc ſub Innocẽtio 3. in Concilio Lateranenſi recepiſſe teſtantur, quando & illud Symbolum æditum eſt, quod in Pontificio iure extat, Extra. de ſumma Trinitate & fide catholica. Firmiter. Præterea Vuiclephum in Conſtantienſi Concilio à Romana eccleſia ideo damnatũ fuiſſe nemo ignorat, quod in Sacramento panis ſubſtantiam manere diceret, quemadmodũ & Lutherus docet, & palàm ſe cum Vuiclepho ſentire fatetur. His ergo cauſis moti Papiſtas Lutherum in ſodalitium ſuum, quod hic omnino ambire uidetur, recepturos eſſe ſperare nõ poſſumus, nec etiã illud Lutheri dictum approbabũt, quo in Papatu eandem ſententiam traditam eſſe teſtatur, quam ipſe etiam nunc teneat & tradat: niſi fortè illud duntaxat hic intelligi uelit, quod ſupra de totius & non per partes manducãdi Chriſti modo & ratione dixit, quod ipſum tamen nemo ex nobis oppugnat.

Eccleſia articulum de Sacramento explanat anno 1215.

Quid multis? Lutherus in hac re tam intricate et inconſtanter agit & dicit omnia, ut qui aliquo iudicio præditi ſunt, facile intelligant, quod ne ipſe quidem plenam & ſolidam huius rei ſentẽtiam in animo ſuo conceperit. Panis ſubſtãtiam in Cœna manere, nec in Chriſti corpus conuerti, nihilomi-

Lutherus ſuæ ſententiæ incertus eſt.

nus tamen eundem panem Chriſti corpus eſſe di-
cit, quod ipſum Pontificij nunquam admittent. Se
enim (ut paulò ante annotatum eſt) non multum
contendere dicit, num panis maneat uel minus. In
certus ergo animi fluctuat, interim tamen panem
manere fatetur. Deinde in eadem illa Confeſſione
ſua illud quoq; addit: Fanatici nõ minus quàm iu-
ris Canonici gloſſa peccant, dum uidelicet Nico-
laum Papam reprehendunt, quod Berẽgarium ad
eiuſmodi Confeſſionem adegit, qua uerum Chri-
ſti corpus dentibus conteri & confringi fateretur.
Vtinam omnes pontifices æque pie & Chriſtiane
egiſſent, ut Nicolaus hic cum Berengario in con-
feſſione ſua egit. Omnino enim ſentiendum eſt,
quod qui hunc panem manducat, & morſu fran-
git, illud ipſum manducet, & morſu frangat, quod
uerum & ipſiſſimũ Chriſti corpus eſt, non nudum
panem, ut Vuiclephus tradit, &c. Et hæc omnia Lu
theri ſunt. Berengarij palinodiã paulò poſt appo-
nemus. Quis uero tam ſtupidus & hebes eſt, qui
quàm parum ſibiipſi Lutherus conueniat, non ui-
dere poſſit. Nunc enim ſe cum Vuiclepho ſentire
fatetur, mox uero eiuſdem ſententiã reijcit. Quem-
admodum & Pontificium quoq; ſe dici aliquãdo
inique fert, interim tamen ipſe (ut & hoc loco) pon
tificis geſta ſummis uehit laudibus, & quod ipſam
rei ſubſtantiã attinet eandem cum Pontifice de Sa
cramento ſententiam ſequitur, unde merito certe
panẽ in uniuerſum negaret, & ſolis carnibus cum
Pontifice ueſceretur. Porrò ſinguli Chriſti fide-
les,

les, quotquot uera ratione uti poſſunt iudicent,
quanta in his Lutheri firmitas, conſtantia & certi-
tudo ſit, quàm conſtanter deniq; & tuto in hiſce a-
gat & diſputet. Cauſa hæc certe nondum ita nobis
arridere poteſt, ut huic confiſi in Lutheri partes con
cedere uelimus.

Deinde nunquam in hoc fuimus, ut Sacramen
tum per ſe Papiſticum eſſe contenderemus. Qui e-
nim fieri potuiſſet, ut huiuſmodi cogitatio in ani-
mum nobis incideret, cum ex Euãgelio probe edo
cti, & ſupra quoq; confeſſi ſimus, Dominum no-
ſtrum Ieſum Chriſtum Cœnæ huius primum au-
thorem & fundatorem eſſe. Illud uero & olim di-
ximus, & hodie quoq; teſtamur, quod nouũ illud
de ueri & naturalis corporis Chriſti in pane præ-
ſentia & eiuſdẽ manducatione tam malis q̃ bonis
cõmuni dogma, non à Chriſto & apoſtolis ipſius
traditũ, ſed à Pontifice & loquacibus ſuis Benedi-
ctini aliorũq; ordinũ monachis plantatũ, & eccle-
ſijs obtruſum ſit. Nimiũ ergo hic ſibi permittit Lu-
therus, ſed & ueteri ac Catholicæ eccleſiæ uim facit
& iniuriã: dum uidelicet ſuũ illud & Pontificiũ de
Sacramento dogma per annos mille quingẽtos ex
tẽdere, & ſanctæ catholicæ eccleſię obtrudere cona
tur. Deũ immortalẽ, q̃ parũ negotij ueteri illi et ſan
ctiſſimæ eccleſię cũ Lutheri cẽtonibus & ſacco ſtra
mineo fuit, quę Lutherus hic nunq̃ nõ (ſerio an io
co, nõdũ nobis ſatis cõſtat) declarationis cauſa infar
cire & ꝓferre ſolet? Quàm procul ab iſtiuſmodi lo
quẽdi formulis abfuit, q̄bus ille Chriſti corpus nõ

Non ſacramentũ, ſed eius expoſitio papiſtica eſt.

localiter ſed definitiue in Cœna eſſe clamitat. Nec modo à uerbis iſtiuſmodi abſtinuit, ſed à ſenſu quoque, quē Luth. per hæc euincere conatꝰ, fuit alieniſſima. Præterea paulò ante ex Scholaſticæ theologiæ authoribus annotatū eſt, quid nam iſti de Pontificis dogmate pronuncient, quo ille panem iam nō panem amplius manere, ſed in uerum Chriſti corpus conuerti tradit, quod uidelicet dogma hoc ut nouum ita recens & nuper inuentum ſit.

Porrò, ut uniuerſum cauſæ huius negotium, & quo pacto Roma. pontifices ſuum illud de Sacramento dogma mūdo obtruſerint, plenius intelligi poſſit, primo loco Nicolai Papæ ſententiā, (quam Lutherus tantopere laudat & tuetur) quam & Berengarius fateri coactus eſt, è Canonico iure apponere inſtituimus: è qua poſtea quid paulatim ſubſecutum ſit, facile animaduertere licebit. Palinodia ergo Berengarij de Conſec. diſt. 2. Can. Ego. talis extat: EGO Berēgarius, indignus S. Mauritij Andegauenſis eccleſiæ diaconus, cognoſcens uerā catholicam & apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim, præcipue eam de qua hactenus infamatus fui, quæ aſtruere conatur panem & uinum, quæ in altari ponuntur poſt conſecrationē, ſolummodo ſacramentum, & non uerum corpus & ſanguinē Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe, & non poſſe ſenſualiter, niſi in ſolo Sacramento, manibus ſacerdotū tractari uel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Cōſentio autem S. Romanæ eccleſiæ & apoſtolicæ ſedi, & ore & corde profiteor de ſacramētis

Palinodia Berengarij & Papæ de Cœna domini ſententia.

dominicæ menſæ fidem me tenere eandem, quam dominus & uenerabilis Papa Nicolaus & hęc ſancta Synodus authoritate euangelica & apoſtolica tenendam tradidit mihiq́ꝫ firmauit, Panem ſcilicet & uinum, quæ in altari ponũtur, poſt conſecratio- nem non ſolum ſacramentum, ſed etiam uerũ cor- pus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter non modo Sacramentum, ſed in ue- ritate manibus ſacerdotũ tractari, frangi, fidelium dentibus atteri, &c. En hæc Chriſtiana illa Nicolai Papæ doctrina eſt, hoc tam egregium eiuſdem faci nus, quod Lutherus tantopere approbat, hæc de- niqꝫ pontificia ſimul & Lutherana de Dominica Cœna fides eſt.

Quæ uero & qualis de Domini Cœna in ueteri eccleſia à prima ſtatim origine doctrina tradita ſit, ſuperius in Cõfeſſione noſtra expoſitum eſt. Con- tra hãc uero Romana eccleſia nouam opinionem ab omni Sacramentorum ſenſu alieniſſimam pro- fert, & eandem illam & uiolenter & impudẽter ca- tholicę eccleſię obtrudit. Vbi tamen quotquot ſunt fideles animæ certo norunt, & manifeſte deprehen dere poſſunt, falſum eſſe, quod Papa tradit, et quod Berẽgarius fateri cogitur. Quem enim ſacerdotem dabimus, cuius manus, non modo Sacramentum corporis Chriſti, ſed uerum & ipſiſſimum Chriſti corpus ſenſualiter tractauerit? Cuius etiam homi- nis os uerum Chriſti corpus ſenſualiter, nõ modo corporis Sacramentum accepit, & dentibus contri uit? Hæc ſanè tam falſa ſunt, ac ſi quis tenebras lu-

cem, uel lucē tenebras eſſe dixerit. Interim tñ Rom. illud Concilium ex Italicis Monachis & ſacerdotibus collectum, tam euidens & apertū mendacium non modo pro ueritate agnoſcere, ſed apoſtolicæ ueritatis loco catholicæ eccleſiæ credendū & confitendum obtrudere, non pudet. Atqui ipſe Lombardus & eiuſdem interpretes cauſa hac nimium implicitit totis uiribus laſſatis, nouas dicendi formulas nectunt, quibus ſe quidem extricare ſtudent, interim uero ſeipſos magis atq; magis implicant, & ſe incertos animi in cauſa hac & hærere & uictos, ſuffocatosq́; eſſe palam arguunt. Concilium enim hoc, ipſum Chriſti corpus non Sacramentū modo uel ſignum corporis, frāgi diſerte fatetur. Lombardus craſſum hoc & abſurdū mendacium nonnihil uelare & excuſare ſtudēs, Corpus Chriſti (inquit) frangitur, uere quidem, ſed in ſacramento tantum. Iam ergo uidete, ô Chriſti fideles, q̃ egregie, ſcilicet, iſti homines inter ſeſe conueniant, & ut mendacium ſibiipſi pugnās ſeipſum quoq; euertat. Concilium hoc celebratum fuiſſe legitur, anno à nato Chriſto 1058. Atqui non dubium eſt, quin plures è doctorum numero longe aliter loqui uoluiſſent, niſi metu territi ueritatem eloqui timuiſſent. Hoc enim multorum implicita & nimis anxia ſcripta non obſcure teſtantur, &c.

Sentēt. lib. 4. diſt. 12.

Cæterum, ut quæ nam Berengarij ante Concilių hoc fides & doctrina fuerit, omnes intelligant, illam quoq; huc aſcribemus: In hūc enim modum ſcripſit & docuit: Sacrificium eccleſiæ (ſic enim eucharistiam

Berengarij de Cœna Domini fides & ſententia.

euchariſtiam uocat) duobus conſtat, duobus cõſit, uiſibili ſcilicet & inuiſibili, ſacramento & re ſacramenti: quæ tamen res, id eſt Chriſti corpus, ſi eſſet præ oculis, uiſibilis eſſet, ſed eleuata in cœlum, ſedensq́ ad dexteram patris uſq; ad tempora reſtitutionis omnium (quod ſcribit Chriſti apoſtolus Petrus) cœlo deuocari non poterit. Siquidem Chriſti perſona conſtat Deo & homine: ſacramentũ uero dominicæ menſæ pane & uino conſtat, quæ conſecrata non mutantur, ſed in ſubſtantijs ſuis permanent, ſimilitudinem habentia cum rebus, quarum ſacramenta exiſtũt. Hæc omnia Berengarij ſunt, & ſummam doctrinæ ipſius cõtinent, quã abnegare & papiſtico more de Cœna diſſerere coactus eſt. Magna fuit Berengarij huius apud Gallos & Germanos tam propter uitæ innocentiã q̃ propter eruditionẽ ſingularem celebritas & gloria, quamuis circa agnitæ ueritatis negotium plus ſatis mollem & infirmũ ſe præbuerit. At qualiacũq; hæc ſint, certo tamen conſtat in hac Berengarij ſententia nihil dici, quod non prius dixerit ſcriptura, & ipſe eccleſiæ doctor Auguſtinus ſcripſerit.

Quãdo circa Domini Cœnam diſputari cœptum ſit.

Et eo quidem tempore demum, nouę illæ & inauditę cõtentiones atq; diſputationes de Sacramento exortæ ſunt, quæ ab apoſtolis nunq̃ uel traditæ uel uſurpatę, imò à Chriſti fidelibus in ueteri eccleſia nunq̃ admiſſæ uel agnitę ſunt, nũc aũt hoc plus ſatis afflicto ſæculo ex contentioſo philoſophię et rixatricis ſophiſticæ ſpineto hauſtæ non ſine graui eccleſiarum infortunio, & ſimplicium multorum

offendiculo, pernicioſoq; Turcarum & Iudæorum ſcandalo receptæ ſunt. Nouas enim iſtiuſmodi de Sacramēto locutiones nulli ex apoſtolorum numero, ſed immūdæ illæ ſophiſtarum ſcholæ acceptas ferre poſſumus. Ex hac enim habemus, Accidentia ſine ſubiecto, tranſubſtātiationem, ſpecies, ſubſtantialem & realem præſentiam, attamen non localem, non quātitatiuam nec qualitatiuam, non circumſcriptiuam, ſed definitiuam, ubiquitatem, & quicquid præterea huius generis obſcurum & contentioſum eſt, ſine quibus omnibus primitiua ſanctorū eccleſia uſq; in hæc tempora ſecura pace, ſancta & aperta ſimplicitate conſiſtere potuit, & in poſterum quoq; poſt agnitam ueritatem conſiſtere poſſet, niſi quorundam improbitas contētionibus magis, quàm pace, delectaretur.

Eccleſia à monachis gubernata. Eodem tempore Romanā ſedem & eccleſiam ubiq; locorum Monachi Benedictini ferè ordinis ſectatores gubernabant. Monachus erat Lanfrancus, qui præ cæteris Berengarium oppugnauit, & libros qui etiamnum extant, ea de re conſcripſit. Similiter & Leonem 9. Papam, qui primus cōtra Berengarium pugnam moliri cœpit, & eiuſdem Cardinalem Humbertum, qui poſtea ſedente Nicolao Papa Concilij iuſſu palinodiam & confeſſionem, cuius ſupra meminimus, Berengario præſcripſit, Burgundos monachos fuiſſe legimus: quibus & illud mali acceſſit, quod ab alio quoq; mire aſtuto & audaci monacho, Hildebrando Cluniacēſi (qui & ipſe poſtea Papa creatus Gregorij ſeptimi nomen

men accepit) regerentur. Gregorium hunc (licet illum quorundam hiſtoriæ à monachis & ſuæ partis hominibus conſcriptæ magnis laudibus extollant) non poſtremum inter ſceleratiſſimos pontifices fuiſſe conſtat. Extat adhuc uita eius per Benonem Cardinalem conſcripta unà cum multorum aliorum Chronicis, qui illum diabolo addictũ, necromantiæ & omnis impietatis deuoto animo ſtudioſum fuiſſe, & per ueneficia ac multiplicẽ latrociniorum crudelitatem Romanam ſedem occupauiſſe teſtantur. Præterea nullum unquam Pontificem maiores hoc motus & periculoſiora tempora dediſſe, plures hiſtorici docent. Heinrychum quartum Imp. Germanum, ſanctiſſimum & integerrimum principem pertinaciter oppugnauit, ſic ut aduerſus illum & Imperij principes, & epiſcopos, & Abbates cum monachis, & plures imò pleroſq; è doctorum numero, imò Imperatorię ditioni ſubiectos homines commoueret, & immania bella ac incredibiles ſanguinis effuſiones ubiq; excitaret. Huius opus eſt, quod in Gallijs ſimul & Germania matrimonij uſum (ut Paulus olim prędixerat) eccleſiarũ miniſtris eripuit. Eiuſdem opus eſt Romanum illud Concilium, quod ubi ex ſuæ partis ſacerdotibus & monachis ex Italia undequaq; collectis congregauiſſet, ueterẽ & ſimplicem eccleſiæ 1079. de Cœna Domini doctrinam cum Berengario damnauit, & nouũ illud dogma, ſub Leone 9. & Nicolao 2. traditum, confirmauit.

Ab eo tempore pontificium illud dogma, quo *Pontificiũ*

de Sacra- mento dogma quomodo inuectũ ſit.

Sacramentum uel ſignum, id eſt, panem & uinum poſt conſecrationis uerba, non iam panem & uinum amplius, ſed ipſiſſimũ Domini corpus & ſanguinem eſſe traditur, magis atq; magis inualuit. Succeſſerunt enim prioribus iſtis Benedictini aliquot, & aliorum ordinũ profeſſores monachi, eruditionis & ſanctimoniæ titulo inſignes, qui anteceſſorum ſuorum doctrinã ac fidem de Sacramento traditam tam ſcriptis quàm publicis concionibus omnibus inculcare & obtrudere ſatagebant. Fuerunt inter hos non infimo loco Hugones cum Gratiano multijugæ lectionis homine, qui Decretorum librum congeſſit. Iunxerunt ſe his doctores quidam Pariſienſes, & inter hos clariſſimi Lotharius & Petrus Lombardus. Lotharium poſtea Pontificem factum, Innocentium 3. dixere. Hic Concilium Romæ indixit, quod Lateranenſe uocant, in quo Symbolum æditũ, & pro fidei articulo receptum eſt, quod panis & uini in Sacramento ſubſtantia mutari, & iam uera Chriſti caro & ſanguis eſſe credi debeat, ut paulò ante narrauimus. Concilium hoc anno 1215. habitũ fuiſſe legimus. Lombardus uero Pariſiẽſis epiſcopus factus eſt, & communi ferè nomine Magiſter Sententiarum dicitur: eo quod è ſcripturæ ſententijs, maxime tamen è patrum ſcriptis, libros quatuor de fide & Chriſtiana doctrina collegit, quorũ poſtea monachi & ſacerdotes ſtudioſi, omnem ferè ſuam doctrinã & conciones omnes inde deſumpſerunt.

Aediculæ Sacramentariæ.

Anno autem Domini circiter 1226. Honorius

Papa,

Papa, inſignis monachorum patriarcha, Sacramentum honorifice & ſtudioſe aſſeruandũ eſſe ſtatuit. Vnde primam ſuam originem habẽt Ciboria uel ædiculæ, in quibus Sacramentum poſtea aſſeruari ſolitum fuit. Eodem tempore & Mendicantium ordines, & inquietorũ garrulorumq; monachorũ turba oriri cœpit, qui per uniuerſum Chriſtiani nominis orbem pontificiam doctrinã diffundere, & Romanæ ſedi, non ſine graui orthodoxæ, ſimplicis & apoſtolicæ doctrinæ ſanctæq; eccleſiæ detrimẽto, fideliter ſeruire ſtuduerunt. Nec multo poſt Vrbanus 4. monachus Ciſtercienſis Romanam ſedem occupans, Corporis Chriſti feſtum inſtituit. Contulit huc opem ſuam Thomas de Aquino, cui eam ob cauſam Dominicani monachi columbam humero inſidẽtem, & calicem cum hoſtia appingere conſueuerunt. Et tunc temporis hæc Lutheri cantilena primum cani cœpit: Sumit unus, ſumunt mille: quantum iſte, tantũ ille: nec ſumptus abſumitur.

Feſtũ Corporis Chriſti.

Hic uero diligentius paulò conſiderent uere fideles animæ, qua cauſa factum ſit, ut Chriſtiana eccleſia annis circiter 1200. ædiculis iſtis Sacramentarijs & Feſto corporis Chriſti caruerit. Feſtum enim hoc à Pontifice demum, circa annum Domini 1264. inſtitutum eſſe conſtat. Hoc certe irrefragabile quoddam τεκμήριον & ſignum eſt, quo ueterem & apoſtolicam ſanctorum eccleſiam de Cœna Domini uel corporis & ſanguinis Sacramento nequaquam ita ſenſiſſe colligi poteſt, quemadmodum hodie noua illa Romana eccleſia om̃es alias

ecclesias ſentire & docere uult. Sed & hoc loco (ut multis alijs) Lutherus & ſe & doctrinam ſuam ſuſpectam reddit, utpote de qua nec ipſe quicquam certi pronunciare, & proinde nec nos illi ſatis confidere poſſumus. In Papiſtas enim ſuos propter feſtum hoc dire & grauiter inuehit, nec libere cum ipſis fatetur, quod Sacramentum adorari debeat. Quid uero? Panis uerum & naturale Chriſti corpus eſt, & in Cœna uere & corporaliter (ut Papa et Lutherus docent) Chriſtus præſens eſt: cur ergo Dominus illic adorari non debet, ubi illum præſentem eſſe dicitis? Quã ob rem illud adorare prohibebimur, quod non ſacramentaliter modo, ſed corporaliter quoq; corpus Chriſti eſt? Thomas uerum Chriſti corpus, à mortuis excitatum, contrectat, ac in genua prouolutus adorat, dicens: Deus meus & Dominus meus. Diſcipuli Dominũ tam ante quàm poſt aſcenſionem eius adorant. Matth. 28. Acto. 1. Et Dominus apud Ioannem cap. 9. cæco inquit: Credis in filium Dei? Et reſpondit illi, dicens: Domine, quis eſt, ut credam in illum? Et dixit ei Ieſus: Et uidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. Et ille ait: Credo Domine: & adorauit eum. Quod ſi Domini panem naturale Chriſti corpus reuera eſſe doceremus, cum Papiſtis certe fideliter quoq; eſſemus adoraturi. Nunc uero, cum ſacroſanctum ueri corporis ſymbolum hoc eſſe agnoſcamus, eius nimirum corporis, quod nec pane nec Sacramentaria ædicula cõtinetur, ſed in cœlis confidet, mentem & oculos noſtros in cœlum attollimus,

De adoratiõe Sacramenti.

Ioan. 20.

mus,

mus, & illic Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, uerum Deum & hominem adoramus, iuxta Paulum uidelicet, qui ait: Si reſurrexiſtis unà cum Chriſto, ſuperna quærite, ubi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens. Coloſſ. 3. cap.

Cæterum ad inſtitutū reuerſi narrationem eam abſoluemus, qua ut Pontificis de Sacramento dogma introductum, & mundo obtruſum ſit, docetur. Plurimum autem hic effecit auricularis Confeſſio, quæ tum quoq; Pontificum decretis inſtituta & in iuncta erat, cum tamen per annos mille in ueteri ſanctorum eccleſia nequaquam hic eius uel uſus uel inſtitutio antea fuiſſet. Huius prætextu tam ſacerdotes quàm monachi hominum corda altiſſime ſcrutari, & multa, quæ uix fidem inueniant, efficere potuerunt. In primis autem hæc de corpore Chriſti opinio multorum animis nō ſine triſti miſerorum carnificina inter cōfeſſionem hanc inculcata eſt: donec eò rem perduxere aſtutiſſimi nequā, ut licet fidem huiuſmodi nullam in animis ſuis homines ſentirēt, eandem tamen cum reliquis fidem profiterentur, & ſi quæ cogitationes huic aduerſæ animo oboriri inciperent, illarum meditationi q̃ minimum intenti, illis locum non darēt aliquem. Quod quid aliud erat, quàm ueritati & diuinæ reuelationi uiam præcludere? Vnde fiebat, ut miſeri homines graui animorum dolore compuncti triſtiſſima quoq; conſcientiarum carnificina, ſine omni fructu Sacramentum perciperent, & multi non ſine ingenti mœrore, hoc unicū uotum ſuum eſſe *Confeſſio auricularis.*

faterentur, ut ſi hæc Sacramenti fruitio nihil emolumenti uel fructus, ſaltem nihil quoq; periculi & nocumenti illis afferret. Huiuſmodi uero doloribus ſanctorũ in primis animos exagitatos fuiſſe, omnes quotquot per uniuerſum Chriſtianorum orbem ſunt fideles animi teſtabũtur. Furiat & ferociat, ut uolet, cum Rom. pontifice Lutherus inſolens, ueritatis tamen ſpiritus qui in eccleſia eſt, & unanime fidelium animorũ teſtimonium maius eſt & excellentius, quàm ut ſua ferocia & inſolẽtia quicquam nobis extorquere poſſint.

Miracula circa Sacramẽtum ædita.

Acceſſerunt his infinita & noua indies, quæ circa corpus illud dominicum in Papatu euenerunt, miracula. Quid enim hic uerbis opus eſt? Nota ſunt miracula hæc in uniuerſo terrarum orbe. Simul autem & illud certo conſtat, quod ne unum quidem miraculorum huiuſmodi in primitiua eccleſia æditum ſit. Vnde ex eorum haud dubie numero ſunt, quæ Ieſus Chriſtus fidelis Dominus & redẽptor noſter nos cauere diligenter iubet, dicẽs: Surgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poſſit, etiam electi. Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire: Ecce ἐν τοῖς ταμείοις, in clauſtris, in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet uſq; in Occidentem: ita erit aduentus filij hominis, &c. Matthæi 24. Et Paulus efficaciam illuſionis, id eſt, ſigna ad illudẽdum efficacia euentura dicit, ut puniantur omnes, qui

Chriſtus nec hic, nec illic, &c.

ueritati

ueritati certæ & euidenti credere noluerunt. Quapropter qui uere fideles ſunt, iſtiuſmodi, quæ circa uanam Pontificis doctrinam & inanem ceremoniarum apparatum, ſigna euenire ſolent, non magnifaciunt. Fida enim & euidens Chriſti admonitio maiori (ut par eſt) quàm omnia ſigna eiuſmodi, in pretio ab illis habetur. Cum ergo Dominus inquit: Si Chriſtum in deſerto, apud monaſteria nimirum & in paſſagijs, uel in ſacramentarijs illis ædiculis & clauſtris uobis indicauerint, nolite credere, nec illuc exieritis. Quam ob rem? Filius hominis enim poſthac non corporaliter, inuiſibili tamen arcano & ineffabili modo, deſcendet uel in terris hiſce morabitur, ut uel hic uel illic monſtrari poſſit, ſed ut fulgur magna cum gloria & maieſtate omnibus conſpicuus de cœlo deſcendet, cum nimirum uiuos & mortuos iudicaturus uenerit: Eandem illam Chriſti doctrinam & traditionem infallibilem fideles certa, conſtanti & inconcuſſa fide ſeruant, in terris hiſce patienter quæuis ſuſtinent, & eouſq; expectant, donec redemptor mundi, unica illorum ſpes & ſalus, corporaliter in nubibus ueniat, cunctos fideles æterna beatitudine coronaturus.

Et hæc quidem paucis & breuiter comprehendere libuit. Lectori enim prolixa totius & integræ hiſtoriæ narratione moleſtiores eſſe noluimus. Hinc uero non obſcurum eſt uidere, Lutherũ ſuam hanc & Pontificis de Sacramento ſententiam, ad minimum per annos mille latius, quàm ipſa rei ue

Doctrina corporeã in Cœna præſentiã aſſerens, nõ annis 1500. durauit.

ritas permittat, extendiſſe, & quod ea quæ de cor-
porali ueri corporis Chriſti præſentia & mandu-
catione doctrina traditur, nec Chriſti Domini, nec
ueteris Catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ ſenten-
tia, ſed Pontificis & Romanæ eccleſiæ figmentum
ſit. Et huius quidem longe uaniſſimæ opinionis
inſignes iſti hypocritæ & picis loquaciores mona
chi maxima ex parte authores fuerunt, qui miſeros
fideles hoc ſuo dogmate plus ſatis miſere excrucia
runt & torſerunt: quemadmodum & Lutherus ho
die omnem poteſtatem ſibi uendicare, omnibus in
ſultare, imò omnes eos terrarum orbe quoque expel
lere, & uita defunctos Satanæ tradere conatur (&
quantum in ipſo eſt, iam tradidit) qui ſuam illam
& Pontificiam de Sacramento ſententiam admit-
tere, fateri & tueri noluerint. Benedictus autem
Dominus Deus, qui æterna ueritate ſua nos inſti-
tuit & confirmauit, ut & Lutheri & Pontificis nu-
gas multo minoris, quàm ipſi exiſtiment, facere
poſſimus.

Lutheri fundamentum, quo nititur.

Poſtremo demum Lutherus rem ſerio agere, &
longe ſolidiſſimum quod poteſt diſputationis ſuę
fundamentum iacere incipit, hoc modo: Ego cum
ſancto patre Abraham illi, quæ Rom. 4. proditur,
ſententiæ innitar, QVOD DEVS PROMI
SIT, POTENS EST ET PRAESTA
RE, & quæ Pſalmo 51. extat, Vt iuſtificeris in ſer-
monibus tuis, & uincas cum iudicaris. Nec meam
rationem primum in conſilium uocabo, qua ratio
ne nimirum conueniens & poſſibile ſit, ut corpus

&

& ſanguinem ipſius ipſo ore percipiam: nec deinde tanquam Dei iudex uerba ipſius iuxta meæ rationis obſcurum & cæcum iudicium exponere inſtituam. Minime (inquam) ſic *tumultuari aut ferocire uolo. Ipſe locutus eſt. His ergo nitor, his inſiſto. Quod ſi me ipſe ſeduxerit, fœliciter utiq; ab illo ſeductus ſum. Nunquam certe mentitus eſt, nec etiam mentiri nouit, &c. His nos ſic reſpondemus. Et nos certe Abrahamum patrem noſtrum ſequi inſtituimus, & omnibus Dei uerbis atq; promiſſionibus citra omnem controuerſiam credemus. Certo enim ſcimus, nos ſalutem minime cõſequi poſſe, niſi Abrahæ filij per fidem reddamur. Fides uero non in nudis uerbis hæret, ſed ſenſui & ueræ, diuinæ ac Chriſtianæ uerborum ſententiæ nititur. Nam quædam Dei uerba arripere & ſenſum aliquem prauũ ex ijſdem elicere, cui poſtea fide conſtanti inhærere uelis, nequaquam credere, ſed diffidere eſt, & fidem obſcuro noſtræ rationis iudicio præbere. Dominus apud Ioannem cap. 14. diſertis uerbis inquit, Pater maior me eſt. Verba hæc clara & intellectu facilia ſunt. Si quis uero eadem hæc de toto Chriſto & diuina quoq; eiuſdẽ natura exponere, & fidem ſuam ſenſui huic inniti uellet, falſa fide præditus eſſet, imò fides ipſius non Dei uerbo, ſed ſuo iudicio, ſuiq; capitis peruerſo & pertinaci ſenſui niteretur. Hæc enim Chriſti uerba, de altera duntaxat eius natura, humanitate nimirum, non diuinitate (iuxta Arij ſententiam) exponi debent, quo ſenſu & primitiua eccleſia ea-

Schwermen.

Quomodo omnibus Dei uerbis credendum ſit.

dem hæc exponens Chriſtum iuxta diuinitatem patri ſimilem, iuxta humanitatem uero patre minorem eſſe dixit. Præterea & illud ſcripturis traditum & expreſſum ac euidens Dei uerbum eſt, Ego ſum uitis uera. Si quis uero hæc inſolentius urgere uellet & dicere: Deus mentiri neſcit, quicquid dicit idem & facere nouit, ſe autem uitim ueram eſſe dixit, poteſt ergo ut uitis uera ſit efficere: meam ergo rationem conſulere nolo, nec in Dei uerbum mihi iudicium ſumere, quin potius ipſum ueram uitim eſſe conſtanter credam, &c. Qui, inquam, his pertinacius niti uellet, nequaquam Dei uerbum fidei ſuæ fundamentum haberet, ſed proprij capitis malignæ pertinaciæ nitens à fide uera eſſet alieniſſimus. Similiter, licet multum uociferetur Lutherus, Quod Deus loquitur idem & facere poteſt: panem uero & uinum corpus ac ſanguinẽ ſuum eſſe dicit, poteſt ergo, ut panis & uinum corpus ac ſanguis ipſius ſit, efficere: Meam ergo rationem in conſiliũ uocare nolo, ſed Dei uerbis fidem habebo ſimpliciter, &c. Nequaquam Dei uerbo, ſed proprij capitis pertinaci ſenſui, quem ipſe Dei uerbo obtrudit, fidem habet. Chriſtus enim panẽ & uinum corporis & ſanguinis ſui nominibus nõ alio ſenſu appellat, quàm qui Sacramentis omnibus communis eſt, ut nimirum ſigna id dicantur cuius ſigna ſunt: quemadmodum in præcedẽtibus euidenter ſatis expoſitum & demonſtratum eſt.

Promiſſionis uerba in cœna.

Abraham pater noſter promiſſionẽ habebat certam & euidentem, nullius figuræ inuolucro implicitam.

citam. Quod ſi uero Lutherus cœnæ uerba, Hoc eſt corpus meum, &c. promiſſionis uerba eſſe dixerit, non inuiti equidem hoc illi permittimus, ſano tamen & uero ſenſu obſeruato, quod nimirum Dominus ſe corpus ſuum in mortem traditurum, & ſanguinem in peccatorum remiſſionem effuſurum eſſe pollicitus ſit, quod ipſum & præſtitit. Et hæc quidem promiſſio non aliter quàm per fidem percipi poteſt. Quamuis, ſi proprie loqui uelimus, uerba hæc declàratio potius & cauſæ redditio dici debent, propter quam Dominus panem manducare iubet, & qualis hic panis ſit, & quid in hoc nobis proponatur, quid denique idem hic nobis in memoriam reuocet, exponunt. Si uero Lutherus hæc promiſſionis uerba ſic eſſe dixerit, ut Dominus per hæc ſeſe pani alligare & aſtringere uoluerit, ut cũ uerba hæc, Hoc eſt corpus meum, ſuper panẽ pronunciantur, eorundem uirtute fiat ut corpus præſens ſit & ore noſtro acceptum manducetur: Luthero nos omnino contradicimus. Hæc enim uerborum Chriſti expoſitio, appendix potius & uiolenta contra ueritatem adſuta additio, quàm Chriſtiana explanatio eſt. Dominus enim nihil de uerborum pronunciatione locutus eſt. Præterea apud omnes fideles certò conſtat, uerbis nullam eiuſmodi uirtutem ineſſe, qua aliquid uel mutare, uel rem per ipſa ſignificatam præſentem reddere poſſint. Vnde figmentum hoc non maiori uel iure uel authoritate defendi poteſt, quàm ſi quis olim ex paſchalis agni deſcriptione colligere uoluiſſet, quod ijs pronun-

ciatis, ipſe tranſitus quoq; præſens redderetur, & propterea paſchalis agni ſolennitatem non modo tranſitus rememorationem, ſed ipſum tranſitũ cre-dendum eſſe contendiſſet.

Rationem in conſiliũ uocare nolle, &c.

Lutherus præterea, ſe rationem ſuam nequaquã in conſilium uocare, nec ſe Dei iudicem conſtituere, ſed potius ſimpliciter credere uelle, dicit. Atqui nec nos Deum iudicare, nec noſtram rationem, ſed ſcripturas potius & fidem in omnibus conſulere, & proinde nihil quod uel Deo, uel ſcripturis, uel fidei articulis contrariũ ſit, credere uolumus. Quæcunque uero his conformia & conſona fuerint, ijs fidem habituri ſumus, etſi omnis humani ingenij ratio aduerſaretur. Adhæc Deum iudicare uel rationem ſuam conſulere nequaquam dici poſſunt, qui cum nuda litera aliquid abominandũ ſuadere uidetur, illud propter rei abſurditatem non ſtatim admittunt uel recipiunt iuxta eum ſenſum, quem prima fronte uerba præ ſe ferre uidentur. Auguſtinus certe de doctrina Chriſt. lib. 3. cap. 16. ſic ſcribit: Si præceptiua locutio eſt, quæ aut flagitiũ aut facinus uidetur iubere, figurata eſt. Niſi mãducaueritis, inquit, carnem filij hominis & ſanguinem biberitis, nõ habebitis uitam in uobis, facinus uel flagitium uidetur iubere. Figura eſt ergo præcipiens paſſioni domini eſſe communicandum, & ſuauiter atq; utiliter recondendũ in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & uulnerata ſit. Et hæc dicens Auguſtinus haud dubie nec Deum in iudicium nec ſuam rationem in cõſilium uocauit, interim tamen

uerba

uerba ipſius eiuſmodi ſunt, ut mirum ſit, ſi Lutheri promptam ad conuitia linguam impune effugere poteſt. Quapropter licet & nos crudã illam & abſurdam naturalis corporis Chriſti in cœna manducationẽ nõ obſcure arguere dixerimus, quod Chriſti uerba, Hoc eſt corpus meum, &c. figurate accipi debeant, interim tamen nec Deũ iudicauimus, nec noſtræ rationis conſilia ſumus ſecuti.

Deum prӕterea neminem ſeducere, nec mentiri poſſe, libenter cum Luthero fatemur. Atqui hinc ſimul & hoc colligimus: Dei filius ſe poſthac in mundo non fore, nec expedire nobis, ut in mundo poſthac ſit corporaliter, ſed & carnem ſuam, ſi manducetur, nihil prodeſſe, docuit. Cum ergo mentiri neſciat, nec quicquam contra uerbum ſuum faciat, iam nec corporaliter in terris hiſce eſt, nec corporaliter per nos manducatur. *Deus mentiri neſcit.*

Cum Paulo quoq; apoſtolo Deũ omne quod loquitur exequi poſſe, & quod pollicetur certò præſtare, docemus. Hinc uero & illud concludimus, quod quæ ſequitur Dei actio uerba quæ præcedũt exponat & declaret. Ipſum factum enim uerborũ finis & ſcopus eſt. Vnde cum illud non fit, quod uerba ſignificare uidentur, iam ex eo cõſtat, alium uerborum quę dicta ſunt ſenſum eſſe. Dominus dixit, Fiat lux, & facta eſt lux, talis nimirum quæ & cerni & ſentiri poterat. Cæco idem dicebat, Viſum recipe, & uiſum recepit. Mortuis quoque, Reſurge ait, & mox reſuſcitati ſurrexerunt. Sic cum leproſo dixiſſet, Mundus eſto, ſtatim mundatus eſt. Pecca- *Quod Deus loquitur, idem & facere poteſt.*

tores quoq; ſolatus ait, Remiſſa ſunt uobis peccata ueſtra, & ſtatim ea ſibi remiſſa eſſe ſenſerunt. Et ſic quidem ſequens euentus antecedentiũ uerborum ſenſum declarauit. Cum itaque Dominus in cœna dicat, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur, Hic eſt ſanguis meus, qui pro uobis effunditur, haud dubie omne hoc reuera ſic eueniſſet, ut naturale illud corpus uere & proprie ſentire potuiſſent, ſiquidem ſymbola hæc corpus ſuum naturale uere & corporaliter eſſe uoluiſſet. Cum uero nihil horum eueniat, quod uerba ſecundũ literam ſonant, ſed nec panis nec uini ſubſtantia mutetur, ſequens hoc factum certò euincit, quod uerba hæc nequaquam iuxta literam craſſo ſenſu debeant intelligi.

Deo & fidelibus nihil impoſsibile. Fidelibus nihil impoſſibile eſſe, diſertis uerbis in ſcriptura exprimitur. Si quis uero hinc quiduis, imò illud quoq; quod à fide alienum et abſurdum eſt, colligere uellet, ipſum hæc & inique facere & ſcripturas uiolenter torquere, omnes fideles non obſcure intelligerent, Similiter nec eum ferre fideles dignarentur, qui à Dei omnipotentia argumentari & ideo illum omnia facere, quia omnia poteſt, colligere conaretur. Deus contra uerbum ſuum & contra ſeipſum nihil facit. Veritas enim eſt, nec ſeipſum mendacem conſtituit. Et Deus, iuxta Tertulliani ſententiam, quod non facit non poteſt: non quidem quod non poſſit ſiquidem illud facere uellet, ſed quia non uult facere: ideo autem non uult, quia indignum eſt & inconueniens. Et ſic quidem Deus quod indignum & abſurdum eſt nec facit nec

Oĩa quæ uoluit fecit. Velle præcedit facere.

nec poteſt. Rurſum ergo et hic conſtat, Lutheri fundamentum languidum & infirmum eſſe, adeò ut in libris ſuis non immerito dicat, hic in tenebris & occluſis oculis ambulare oportere. Nemo enim tam puerili ingenio præditus eſt, qui quàm miſerè in tenebris infœlix homo palpitet, nunc hoc nunc illud præhendat & nihil certi proferat, uidere non poſſit.

Vltimum uero illud, quo ea quoque producit, quæ commodius & maiori cum gloria taceri potuerant (nempe eum nec utrāq; Chriſti naturam, diuinam ſcilicet & humanam, in una perſona, nec quod ſolus filius, non pater, non ſpiritus ſanctus, incarnatus ſit, digna fide amplexurum eſſe, qui huic de Cœna articulo fidē habere noluerit) quod denique grauem & horrendam Neſtorianæ & Eutychianæ hæreſeos ſuſpicionem nobis conflare ſtudet, &c. omnium fidelium iudicio cōmittimus, ut nimirū ipſi pronuncient, annon hæc dirū illum & acerbum Lutheri in nos animum, & cauſæ ſuæ labaſcentis periculū manifeſtiſſime prodant. Articulis paulò ante cōmemoratis fidē habemus ex animo, utpote quos tot tamq; claris ſcripturæ teſtimonijs uallatos & ſuffultos tenemus. Luthero potius curandum erit, ut his iuſte & digne fidem habeat, qui ueteres illos, ſolidos & indubitatos ueræ & orthodoxæ fidei noſtræ articulos, non ſine graui periculo in ſui noui illius articuli defenſionem citare & perſtringere nō ueretur, ueterē nimirum Germanorū parœmiā ſecutus, qua implicati homines in

cauſa deſperata dicunt, Helff was helffen möge, hoc unũ nimirũ quærentes ut à præſenti periculo liberari poſſint, de futuris interim nihil prorſus ſoliciti. Neſtorianæ & Eutychianæ hæreſeos crimine nos iam olim liberauimus, nec aliqd nobis cũ his unquam fuit cõmercij. Hactenus uero Lutheri de Cœna Domini ſentẽtiam nullo ſolido diuini uerbi & fidei teſtimonio uel fundamento niti, ſeipſam confutare & euertere, nec ueteris eccleſiæ doctrinã, ſed magna ex parte Pontificis commentum eſſe, abunde ſatis nos demonſtrauiſſe ſperamus. Quapropter noſtram de eadem ſententiam deſerere, & ipſius dogma amplecti, hactenus ſalua conſcientia non potuimus.

TRACTATVS TERTIVS.

TERTIAM & poſtremam operis noſtri partem nunc adorimur, in qua, diuini numinis præſidio adiuti, Lutheranæ condemnationis ſententiã, qua nos ut pertinaces & pœnitere neſcios hæreticos, damnat, infamat & traducit, expendere, admonitiones eiuſdem unà cum multis alijs, quæ nõ ſine inſigni arrogantia adducit, trutinare, poſtremo enormia illa & à Chriſtiana charitate alieniſſima conuitia ipſius, calumnias & iniurias modeſta excuſatione diluere inſtituimus.

Luthero cauſam iuſtam & æquã non eſſe, propter quam Zuinglium, Oecolampadium & plures alios condemnet.

PRIMO quidẽ omnes Chriſti fideles ſtudioſe monemus et hortamur, ut quò tandem Lutheri facinus & exemplũ in eccleſia Dei tendere, & quantum ex hoc malorum aliquando exoriri poſſit, conſyderare dignentur. Quod enim nunc Lutherus, idem mox alius quoque, homo audax & impudens, facere audebit. Lutherus propria animi libidine inflammatus omne ius ſibi arripit, & tum anteceſſores noſtros & nos, tum omnes noſtræ doctrinæ ſectatores, damnat ac infami & intolerabili hæreſeos crimine (quod ex

Lutherus ſuis condẽnationibus praui exempli author eſt.

animo horremus et odimus) infamare ſtudet. Idem olim quoq; Rom. Pontificē feciſſe legimus, quod cum alij eccleſiarum miniſtri nimium pauidi, creduli & negligentes illi permitterent, eò tandem res deuenit, ut ab eo tempore uſq; nunc per ſæcula aliquot, effreni rabie & intolerabili tyrannide contra orthodoxæ doctrinæ traditionem & innocentes plurimos graſſatus ſit: idq; ſub catholicæ & eccleſiaſticæ poteſtatis prætextu, cum tamen ſolus in eccleſia regnare, & priuatas ſuas cauſas, ſuam pertinaciam denique & priuati faſtus gloriam, tanquā publicum catholicæ eccleſiæ negotium obtinere, & omnes ſibi contradicentes opprimere ſemper ſtuduerit. Quemadmodum Lutherus quoq; ſuam cauſam, ſuum ſenſum & articulum, ut cōmunem catholicæ eccleſiæ articulum proponit. Præterea in ſua cauſa & actoris & teſtis & iudicis officium ſibi arrogat. Quod ipſe pronunciarit, id citra omnem controuerſiam ratum ſit oportet. Nos uero nullus hominū audire, nemo libros noſtros legere, omnes uero nos hæreticorum loco habere & ceu ipſiſſimum diabolū uitare debet. Et hic iam Lutherus fulgurare, tonitru cuncta terrere & fulminare ſatagit, ut olim à Romana ſede factitatū eſſe & etiamnum hodie fieri conſtat. Simul uero magnis obteſtationibus & proteſtationibus cauſam hanc agit, ueluti is ſit, qui omnibus modis cupiat conſcientiam puram et immaculatam ad tribunal Chriſti iuſtiſſimū oſtentare. Qua tamen proteſtatione perinde facit, ac ſi quis iuriſiurandi cōteſtationē offerat, priuſquā tale

Lutheri proteſtationes.

tale quidpiam ab ipſo poſtulatũ uel etiam à iudice decretum eſt. Adhæc omnem authoritatẽ noſtram, quantum in ipſo eſt, imminuit, fidelium animis tales nos fingit, ut qui Iudæis, Turcis, imò ipſis diabolis deteriores ſimus. Quod ſi uero exemplum hoc alij quoq; imitari & mali huius uires quotidie augeri cœperint, quid obſecro in eccleſia tandẽ futurum eſſe ſperabimus? Audaciſſimus quiſq; omnes, qui pedes ipſius exoſculari noluerint, damnare conabitur. Non magna erit ueritatis & ſanæ doctrinę authoritas, charitas cõtemnetur, æquitas omnis periclitabitur, eccleſiarum libertas peribit, & infamis ſeruitus ut audaciſſimis & affectuũ libidini deditis hoĩbus ſubijciamur, introducetur. Aequum ergo & iuſtum eſt, ut huic tanto periculo quotquot ſunt fidi paſtores pro Chriſtiana eccleſiarũ ſuarum libertate indeffeſſo ſtudio, aſſiduis uigilijs & indeſinentibus pugnis occurrant.

Secundo, cum Lutherus condẽnationis ſuę, quã nos ceu hæreticos infamat, iuſtas & æquas cauſas ſe habere, imò diuino q̃q; iuſſu impelli exiſtimet, primo ſtatim loco, quo iure & quo Dei iuſſu hoc faciat, inueſtigabimus: Ego (inquit) ut qui iam ſepulchro uicinus obambulo, hoc teſtimonium & hanc gloriam mecum ad dilecti Domini & ſaluatoris mei Ieſu Chriſti tribunal perferam, quod nimirum fanaticos homines & Sacramenti hoſtes, Carolſtadium, Zuinglium, Oecolampadiũ, Stenkfeldium, & eorum, qui Tiguri uel ubicunq; locorum ſunt, diſcipulos, ſummo ſtudio damnauerim

Lutherus nullo Dei iuſſu nos cõdemnat.

& uitarim, iuxta ipſius nimirum præceptum, quod ad Tit. 3. ſic extat: Hæreticum poſt unam & alterã admonitionem fuge, ſciens quod euerſus ſit qui eiuſmodi eſt, & peccet, ut qui omnino damnatus eſſe uelit. Ad hæc nos ita reſpondendum eſſe ducimus. Paulus hæreticos uitare iubet. Quod ſi uero præſens hic locus Luthero ſeruire debet, illud prius ipſi probandum erat, quod Zuinglius, Oecolampadius, nos quoque qui Tiguri agimus, unà cum alijs qui tam extra quàm intra Heluetiæ limites fidem & doctrinam noſtram ſequuntur, hæretici ſint. Hoc uero nunquam demonſtrauerit. Hic ergo Pauli locus Lutheri inſtituto nequaquã ſeruire poteſt. Hæretici ſunt, qui ſua contra manifeſtam ſcripturæ authoritatem, contra diuini uerbi oracula, contra certos & indubitatos Chriſtianæ fidei articulos, contra ueram denique & orthodoxam ſanctæ eccleſiæ, quæ ex ueritate generatur & alitur, doctrinam falſa, abſurda, et ab illa aliena ipſiq; repugnantia dogmata è proprij capitis figmento & humanis affectibus comminiſcuntur, docent, urgent, recipiunt, & ueritate licet cõuicti pertinaciter tamen retinent ac defendunt, per quæ corda & animi ipſorum ſcindi & à Deo ueraq; ſalute & ſanctorũ communione abſtrahi cõſueuerunt. Hoc modo de hæreticis & hæreſibus diſputant, quotquot iuxta ſcripturæ traditiones pie & uere de illis unquam iudicarunt. Hiuſmodi uero homines per Dei gratiã nec nos nec anteceſſores noſtri unquam fuimus. Teſtimonium hic nobis fert noſtra, quam ſupra

Hæreticus quis.

expoſuimus,

expoſuimus, fidei confeſſio. Quapropter hæretici non ſumus, & Pauli locus Luthero contra nos nequaquam ſeruit. Simul autem & hoc conſtat, Lutherum nõ Chriſtiano, ſed Romani Pontificis more nobiſcum agere, qui iam olim ſimul & hodie inſontes & orthodoxæ fidei ſectatores homines, inuiſo illo hæreticæ prauitatis crimine onerare & opprimere ſtuduit. Nos quoq;, diuina ſic fauente gratia, hoc teſtimonio & hac gloria inſtructi ſaluatoris & domini noſtri Ieſu Chriſti tribunal accedemus, quod nihil nobis cum ullis uel hæreticis uel hæreſibus commercij unquam fuerit, & quod de omnibus & ſingulis Chriſtianæ fidei articulis, de ipſa quoque Domini cœna, eam & doctrinam & fidem ſimpliciter ſimul & uere tradamus & ſequamur, quæ ab ipſo Domino nobis tradita eſt. Oramus quoque illum, ne gratiæ ſuæ opem nobis negare, ſed & Lutherum benigne ac clementer reſpicere uelit, ne in hac ſua dira & immani conuitia contra inſontes iaciendi libidine in extremam uſq; fati horam perſeueret. Non ignoramus enim grauem illam, quam in effrenem linguã Iacobus apoſtolus tulit, ſententiam, quæ huiuſmodi eſt: Si quis uidetur religioſus eſſe inter uos, qui non frenat linguam ſuam, ſed aberrare ſinit cor ſuum, huius uana eſt religio. Iacob. 1. Rurſus, ſic pergit Lutherus: Ioannes in ſecunda ſua epiſtola, Si quis (ait) uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit ei aue, communicat operibus eius malis. En hic

Damnandi ſunt, qui nõ afferũt doctrinã apoſtolicam.

audis quis nam uir ille ſit, qui me Suermeros aut fanaticos hoſce nec audire nec reſpicere, ſed fugere & damnare iubet, &c. Porrò cum Ioannes apoſtolus expreſſis uerbis dicat, Qui hanc doctrinam nō affert, &c. & de apoſtolica atque euangelica doctrina iſtud pronunciat: nos uero eandem illam & habeamus & afferamus (quemadmodum in Confeſſione noſtra abunde ſatis demonſtratum eſt) etiam hic Ioannis locus Luthero nequaquam ſeruit, & proinde nullo diuino iure nos damnat & reijcit.

De admonitionib. per Lutherum factis.

Tertio, multiuarias ſuas admonitiones Lutherus adducit, quò ſuum illud contra nos iudicium obtinere & nos hæreſeos conuincere poſſit. Et primo quidem in genere de admonitionibus diſſerit, hoc modo: Multoties & abunde ſatis per me et plures alios admoniti ſunt. Extant ubique libri, ſed & hodie quotidianæ noſtræ conciones blaſphemam & mendacem illorum hæreſim oppugnant: quod ipſos ſanè non latet. His uero nos quoque reſponſuri, neminem ignorare dicimus quales nam eas, de quibus Paulus agit, admonitiones eſſe conueniat, Chriſtianas nimirum, ſcripturæ & fidei conformes, è diuina ueritate deſumptas, & modeſtè, amicè ac non ſine magno Chriſtianæ charitatis ardore prolatas, in admoniti ſalutem, non interitum. Huiuſmodi uero admonitiones nemo, qui affectuum immoderata intemperie non agitatus fuerit, in Lutheri ſcriptis & actis, tam contra anteceſſores noſtros quàm noſipſos æditis, inuenire

Veræ admonitiones quales ſint.

poterit:

poterit: ſed longe diuerſa omnia. Noſtri, Lutheri circa Sacramenti tractationem commiſſos errores citra omnem nominis ſui mentionem & calumniam amicè & fideliter indicarunt, & orthodoxam ueritatis ſententiam tradiderunt. Lutherus contra à primo ſtatim initio mordere, furere, conuitiari & bacchari cœpit, ſed & libros ſuos diris & horrendis diabolorum, ſectariorũ ſpirituum & fanaticorum nominibus impleuit, & quicquid calumniarum in buccam uenit immaniter contra nos expuit. Adhæc nunquam ueris & ſolidis argumentis uſus eſt, ut ea nos uel erudire uel perſuadere potuerint, ut à fidei articulis & ſimplici noſtra doctrina deſciſcere, & craſſam illam & fidei inconuenientem Lutheri de corporali ueri & naturalis corporis Chriſti (quod Iudas æque ut Petrus comedat) præſentia ac manducatione ſententiam ſalua animorũ noſtrorũ cõſcientia recipere potuerimus. De Lutheri cõcionibus aliud non poſſumus cogitare, quàm quod ſcriptis ipſius ſint ſimiles. Nos enim illum concionantẽ nunquam audiuimus. Illud autẽ uere dicimus, ꝙ Lutherus tam in noſtros q̃ nos ipſos Chriſtianæ charitatis & fraternæ amicitię q̃ minimum, plurimũ uero inſolentiæ, arrogantiæ & maledicentiæ exercuerit. Teſtamur hic ꝓprios ipſius libros, quib. poſteritas olim edocta, noſtrã innocentiã agnoſcet, et nos nõ hęreticos, ſed uere Chriſtianos fuiſſe iudicabit. Adhęc tam noſtræ q̃ noſtrorꝫ conciones & libri palàm extant, qui haud dubie apud omnes fideles noſtram fidem &

innocentiam contra Lutheri cõuitia & calumnias fortiter & aſſerent & tuebuntur. Vnde omne hoc fidelium iudicio committimus.

Poſt hæc Lutherus tres admonitiones enumerare pergit, quas nobis quidem oblatas eſſe, nos uero ex ijs non reſipuiſſe, ſcribit.

Ad primã admonit. reſponſio.

Primum ab ipſo ſtatim ſpiritu ſancto admonebãtur (inquit) cum uidelicet in textus (Hoc eſt corpus meum) expoſitione in ſeptem ſpiritus diuiderentur, & nullus eorũ cum altero conueniret. Mox uero Carolſtadij, Zuinglij, Oecolãpadij, Schuenkfeldij, Cãpani, & aliorũ expoſitiones adducit, quibus hæc Domini uerba, Hoc eſt corpus meum, illi expoſuere. Et hic quidem tantũ iniquæ, infidæ, impudẽtis & uanæ loquacitatis profert, & exercet, ut non immerito quis mirari poſſit, qui fiat, ut tam parum ſalis, plurimũ uero uanitatis & nugarũ, in uiro tam grãdæuo eſſe queat. Horrorem certe nobis ea uel audita ſolũmodo pariunt, quæ tam impuris ſermonibus de ſpiritu ſancto profundit. Quas enĩ ille erroneas opiniones eſſe arbitratur, eas per ironiam ſpiritũ ſanctũ nominat: quin diabolũ quoque ſanctum & magnum ſpiritum uocat, & uetus ille ſpiritus ſanctus alium iuniorem ſpiritũ ſanctum *peperit & excubauit, &c. Vbi merito certe (cum nos nulla neceſſitate id poſtulãte Dei nomini parcere iubeat) æterno illi, unico & uero ſpiritui ſancto parcere debuiſſet. Quod ſi uel decima ſaltem dicteriorum iſtiuſmodi & uaniſſimorum turpiumque ſcommatum pars, in noſtris libris extaret, Deum

gehecft

immor-

immortalē quantas de nobis Tragœdias agere, et q̄ diro animo inuiſum hæretici nomen nobis impingere Lutherus conaretur? Sed quodcūq; ipſe dixerit, irreprehenſibile, imò apud multos planè Heroicum & diuinū eſt. Sed & hoc uere fidelium iudicio ſubijcimus.

D. Andreas Carolſtadius per annos aliquot Tigurinæ eccleſiæ archidiaconus fuit, Chriſtiane & ſancte uixit, & cum bona noſtra pace, nec ſine honore, à nobis Baſileā diſceſſit. Et quoad apud nos egit, nihil unq̄ à Confeſſione noſtra, quā ſupra expoſuimus, docuit. Quod ergo nobis de illo cōpertum eſt, hic teſtamur. De libris ipſius, quos nobis non omnes uidere cōtigit, nihil uel teſtari uel pronūciare uolumus. Apud Baſilienſes per annos aliquot eccleſiæ miniſter fuit, & apud eoſdē extremū diem obijt. Speramus autē hanc quoq; eccleſiā nullo inhoneſtiori teſtimonio illū infamaturum eſſe. *Carolſtadius.*

Campanū nemo noſtrum nouit, & ſi quid is de Sacramēto ſcripſit, illud quoq; nobis prorſus ignotum eſt. Sed Lutherus quoq; cauſam hanc non uſq; adeo bona fide agit, ut ipſius uerbis fidere aut niti poſſimus. *Cāpanus.*

Similiter nec illud nouimus, quam aut qualem nūc de Sacramento ſententiā Schuenkfeldius (quē Lutherus pro miti ſuo & benigno, ſi dijs placet, ſpiritu à fœtore Stenkfeldiū uocat) ſequaī aut teneat. Vnde illū iudicare non poſſumus. Lutherus nos & Schuenkfeldiū eiuſdē * culinę ſodales & conſortes iudicat. Quod quo ſenſu intelligi uelit, aut quid in *Schuenkfeldius.*

**In Germ. uox ambigua inuolucrū habet. Nam kuchē & culinam et placentā ſignificat.*

culina nobis negotij ſit (culinariꝫ enim artis periti non ſumus) non uidemus. Quod ſi uero non culinã, ſed placentã, utpote unum panẽ, unam cõmunionem, unam doctrinã intelligit, noſtro quidẽ uidere Lutherus cõmodius ꝙ nos Schuenkfeldio copulari poteſt: cum ſupra annotatũ ſit, ꝙ ſubtiliter de Chriſti corpore Lutherus diſſerat, ut qui angelorũ & ſpirituũ more definitiue in loco ſit, quod deniq; & ſolidũ ſepulchri lapidem & clauſas ianuas penetrarit, & illic loci fuerit, ubi nõ niſi ſaxũ & lignum erat. Contra non paucis hominũ notum eſt, quam de deificato Chriſti corpore, ut quod creatura iam non ſit amplius, &c. ſententiã Schuenkfeldius tradat. Et hæc quidẽ opinio Lutheri inſtituto commodius ſeruit, ꝙ noſtra doctrina cũ Schuenkfeldij figmento cõueniat. Nos enim ſcripturæ traditionẽ, fidei articulos & ſanctæ eccleſię doctrinã ſequimur, quæ uere humanũ Chriſti corpus, à mortuis reſuſcitatũ, uere humanũ corpus cum omnibus humani corporis proprietatibus (omni tamen infirmitate excepta) eſſe, & in ipſa gloria manere fatetur: quẽadmodum in Confeſſione noſtra ſuperius euidenter expoſitum & demonſtratum eſt.

Diſsimilis ſcripturæ interpretatio.

Cæterũ & hoc loco impræmeditata & offendiculi plena Lutheri uerba diligẽtius ſinguli examinẽt, oramus. Si enim diſſimilis ſcripturarũ interpretatio admonitionis & ſigni loco haberi debet, quo nimirũ eos cauſa ſua laborare, ſcripturas torquere, & ſeductores eſſe deprehendatur, qui diuerſas & diſſimiles interpretationes afferunt, quos tandẽ è

ſanctiſſimorũ patrum numero dabimus, qui non omnium horũ criminũ incuſari poſſint? At cui nõ hæc uel auditu ſaltem horrenda ſint? Atqui certo illud ſequi neceſſe foret, ſiquidẽ Lutheri ſententia rata & firma fuerit. Quicunq; enim patrũ Commentarios in ſacras literas legũt, certo nouerũt, imò nec ipſe Lutherus illud ignorat, q; ſancti & fideles epiſcopi & ſcripturarũ interpretes in unũ & eundem locũ uarias, diuerſas & ſibi inuicẽ contrarias ex parte expoſitiones ac ſentẽtias proferre conſueuerũt. Quia uero à fidei articulis non deficiunt, & ad ſacræ ſcripturę explanationẽ, Dei & proximi charitatem plantandã omne ſuum ſtudium conferunt, diuerſæ hæ & diſſimiles ſcripturarũ interpretationes laudi nõ uitio ducũtur. Et hic quidẽ uel unicos D. Hieron. in ꝑphetas cõſcriptos Cõment. teſtamur.

Præterea, Lutherus in hac Confeſſione ſua perinde facit, ac ſi ad hanc obiectionẽ ſuam non iam olim reſponſum ſit, & excellens quidpiã uideri debeat, quod hic profert. Quapropter ipſius Zuinglij & Oecolãpadij uerba hic repetere, & ipſi reſponſionis loco ob oculos ponere uolumus. Zuinglius in reſponſione ad Lutheri Confeſſionem ſcripta, ſic ait: Nulla inter nos de Cœnæ uerbis pugna eſt uel diſſonantia. Ipſi uero plus quiddã hic q̃ diſſentiũt. Pontificij (quorũ partibus in hac ſua breui Cõfeſſione Lutherus ſeſe iungit) panẽ in ipſam corporis Chriſti ſubſtantiã conuerti uel tranſire contendũt. Lutherus panẽ hunc reuera & ſubſtantialiter panẽ ſimul & corpus Chriſti eſſe docet, unde etiã ipſum

Noſtri in Cœnæ uerbis non diſſentiunt.

Fleiſch-
brot.

ἀρτόσαρκα, id eſt, carneum panem nominat (quod ſi nos huiuſmodi uocē aliquā produceremus, quid de nobis futurū eſſet?) quod ipſum cum pontificio rum ſententia ex diametro pugnat. Præterea Chriſti corpus unà cū pane māducari docet. Porrò quatuordecim illi Sueuici prædicatores uel parochi, Chriſti corpus in uel ſub pane adeſſe aſſerunt, &c.

Quartus ordo eorū eſt, qui clarificatum corpus mā- ducari di- cunt.

Et ſic quidē Pontificij panē hic nullum faciunt reliquum. Lutherus panē hic reliquū eſſe & manere dicit. Lutherus ipſum panē corpus Chriſti eſſe tradit, ſic tamen ut panis quoq; ſimul maneat. Sueuici uero illi ſcriptores panis quidem ſubſtantiā ferunt, & illā manere docent, interim uero eundē illū corpus Chriſti ſubſtantialiter eſſe negant, ſed illud uel ſub uel in pane cōmanducari contendunt. Eo nimirū modo, quo pillulæ ouis immixtæ abſorberi conſueuerunt. Prodire hic aliquē uelim, qui haſce illorum omniū ſentētias aliquo modo ſibi inuicē conuenire, & in idem recidere, demonſtrare poſſit. Interim uero de nobis illud pronunciat Lutherus, q̧ nimirum diuerſas ſententias tueamur: atqui non aliquem hominū, eorum ſaltem qui ſenſu ſano utuntur, exiſtere arbitror, qui uerba noſtra diuerſos & ſibi inuicem contrarios ſenſus proferre, probare poſſit. Cum enim Oecolāpadius noſter Tertullianū ſecutus inquit, Hęc eſt figura corporis mei uel ſymbolum: nos uero iuxta Ambroſij ſententiā, Hoc corpus meū ſignificat, dicimus, utraq; hæc in unum et eundē ſenſum recidunt: Hæc eſt corporis mei ſignificatio: &, Hoc corpus meū ſignificat. Quis eſt qui

ex

ex his duplicem uel diuerſam ſententiam colligere poſſit:&c. Oecolampadius aũt in præliminari ad Zuingliũ epiſtola,quã reſponſioni ſuæ ad eandem Lutheri Confeſſionem ſcriptæ præmiſit,ſic inquit: Nullũ in nobis diuerſum aut contrariũ ſibi ſpiritũ agere (quemadmodũ Lutherus falſò de nobis ſcribit) certò conſtat. Interim tamen hęc non minima rationum & probationũ ipſius eſt,qua doctrinam noſtrã ſuſpectam reddi poſſe arbitratur. Quãuis illud interim luce clarius conſtet,ſimulq; ipſe Lutherus contra ſeipſum teſtimoniũ ferens palàm fateatur,unam et eandẽ utriuſq; eſſe ſententiã,niſi ꝙ uerbis diuerſis utamur. Legantur quę in libro ſuo ſcripſit, & me uerũ dixiſſe omes fideles facile uidebũt. Atqui nos nunq̃ tibi contradiximus, nec tu quoq; te nobis unq̃ contrariũ opponere conatus es: quin potius tuis uerbis non raro ipſe uſus ſum,quemadmodũ te quoq; noſtrorũ nõ pudet, &c. Et hactenus quidẽ Zuinglij & Oecolãpadij uerba recitauimus.

His uero ad primã Lutheri admonitionẽ,quam ille nobis oblatã ſcribit,apud prudẽtes & honeſtos uiros abunde ſatis reſponſum eſt,ꝙ nimirũ non iuſta aliqua admonitio, ſed iniqua potius uerborum inuerſio & calũnia ſit, quæ nos hæreſeos nequaq̃ conuincere poteſt. Reliqua uero quæ his non ſine magna leuitate addit, Cœnã uidelicet noſtrã nõ niſi cõmunem quandã & quotidianam *comeſſationem eſſe, in quã panis & uinũ adhiberi ſolet, & ꝙ Chriſtus eximie ſtultus fuerit (tanta nimirũ modeſtia & puritate Lutherus hic quoq; excellẽti illo ſpi

*Geſellen zäch.

ritu ſuo illuſtratus de æterna Dei ſapientia loqui-
tur) qui peculiarem Cœnã inſtituere uoluerit,cum
Cœnarũ huiuſmodi totus mũdus alioqui plenus
ſit,&c.hæc (inquã) & alia huius generis,qualia re
uera ſunt,uana nimirũ & plus ſatis ſcurrilia eſſe ſi-
nimus. In Confeſſione enim noſtra euidẽter expo
ſitũ eſt,q̃ honorifice de Domini Cœna iuxta ipſius
uerbũ ſentiamus: ſed & om̃es fideles Domini Cœ
nam ſacroſanctũ Chriſti ſaluatoris inſtitutum non
comeſſationẽ eſſe,ſatis intelligunt. Lutherus huiuſ
modi & ſcurriles & impios ſermones, ut nos inui
ſos & exoſos reddat,è ſuo capite fingit, hãc unam
ob cauſam uidelicet,ꝙ nõ craſſam et carneã Cœnã
agnoſcere uolumus,qualẽ ipſe tradit, cuius tamen
illũ ipſum q̃q; ſic pudet, ut illud tam craſſe & carna
liter nolit intelligi,quod diſertis uerbis & expreſſis
pronunciat. Hoc ergo Lutheri inſtitutũ non aliud
q̃ maligni animi pertinaciã & plenam offendicu-
li confuſionem eſſe conſtat. Deus faxit,ut ſeipſum
tandem nouiſſe poſſit. Amen.

Ad ſecundã Lutheri admonit. reſponſio.

Deinde ſecundam, quæ noſtris ac nobiſipſis ob
tigerit,admonitionẽ profert Lutherus. Et hæc qui-
dem talis ferè uidetur, quaſi è Dei uerbo petita ſit,
& nos hac repulſa & ſpreta dei quoq; uerbũ aſper
nati ſimus. Atqui Dei uerbũ non unq̃ nos contem
pſiſſe certo cõſtat, uanas uero illas & nullo ſcriptu
rarum fundamẽto nitentes tam Lutheri q̃ Pontifi-
cis expoſitiones nunquã potuimus admittere. Sed
ipſam Lutheri admonitionẽ audiamus. *Secundo*
(inquit) per me in primis admonebantur, cũ tanta

diligentia

diligentia & ſtudio contra illos ſcriberē, & omnes illorū rationes ac argumēta omnia tam firmiter & potenter confutarē. Et his quidē duo præcipua noſtrorū argumēta Lutherus profert, è quibus primus eſt Ioannis locus, Caro non prodeſt quicq̄. Hunc locū tam potenter illis (inquit Lutherus) eripui, ut & Zuinglius in ultimo ſuo libello nullā eius mentionem faciat. Ampla profecto & hamaxiæa uerba Lutherus ſonat, ꝙ ſi aūt rem diligētius paulò inſpicias & expendas, nihil in tanta oſtentatione ſolidi reperies. Quid uero Zuinglij uel ſentētiæ uel demonſtrationi illud derogare poteſt, etiāſi huius loci, qui Ioan. σ. extat, in ultimo ſuo libello nūquam meminiſſet? An nulla alia pręter hanc cauſa eſſe potuit, q̄ ꝙ Luthero herbā uoluerit porrigere? Pręterea manifeſte falſum & hoc eſt, ꝙ Zuingliū loci illius mentionē nullam in ultimo illo libello ſuo facere Luth. dicit. Teſtis loco hic ipſe libellus erit. Quare incautā illam & plus ſatis effrenem ad quiduis dicendū Lutheri linguam ſatis mirari nō poſſumus. Accedit his, ꝙ Zuinglij argumenta, quibus locū illum contra Lutheri oppugnationes muniuit, intacta adhuc & inuiolata conſiſtunt. Teſtātur hoc plures qui adhuc extant libri, & nos omne hoc fideliū iudicio ſubijcimus. In prima reſpōſione Zuinglius ſic ſcribit: Lutherus in noui Teſtamenti trāslatione hæc Chriſti uerba, ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδὲν hoc modo interpretatus eſt, Das fleiſch iſt kein nütz (addito uidelicet articulo qui in Græcis exprimitur) nunc aūt eodē illo omiſſo, legit, Fleiſch iſt kein nütz, ut ni-

Locus Ioan. σ. nobis per Lutherū ereptus non eſt.

mirum uerba hæc eò referri poſſint,quaſi de carnis ſenſu,ingenio & natura Chriſtus loquatur. En ut res tuæ ſe hic habeant Luthere,ut omniū oculis expoſitus,manifeſtus & publicus ſcripturæ ſacræ corruptor & adulterator eſſe conſpiciaris.His uero ſeptem argumenta Zuinglius ſubiūgit,quibus Chriſtum uerba hæc,Caro non prodeſt quicq̃,de ſua ipſius carne pronūciauiſſe probat.Simul etiā Lutheri regulā diluit, qua ille per carnis uocabulū ueterem Adamum,non Chriſti carnē,intelligi dixerat,ubicunq; in ſcriptura carnis & ſpiritus antitheſis inueniat. Qui uolet eā, cuius modo meminimus,Zuinglij reſponſionem uideat. Quoniā uero Lutherus magna illa Confeſſione ſua Zuinglio reſpondere conatus eſt,alterā quoq; Zuinglij reſponſionē,qua Lutheri Cōfeſſioni occurrit,ſi quis uolet,legat.Sed quid in re tam euidenti pluribus uerbis opus eſt? Lutherus quoq; priusq̃ hæc oboriretur controuerſia,hæc Chriſti uerba non alio, q̃ quem Zuinglius ſecutus eſt,ſenſu expoſuit. Vnde rurſum nō obſcure uideri poteſt,hanc Lutheri contentionem è pertinacia potius,q̃ ulla iuſta cauſa exortam eſſe. In eo enim,quem de Chriſti uerbis, Caro mea uere eſt cibus,&c.ædidit,ſermone ſic ait:Dominus poſtea dicit,Caro non prodeſt quicquam : & rurſum, Caro mea dat uitā. Qua ratione uero hæc diſcernemus? Spiritus diſcernit. Chriſtus enim corporalē carnis manducationem non prodeſſe dicit, ſed ſi filij Dei carnem propter me cœlitus deſcendiſſe, & ſanguinem ſuum pro me effudiſſe credam,&c.Hęc Luth.

Hoc

Hoc ergo argumentum noſtrum (quod Oecolam padius non immerito murũ aheneum dixit) quod Lutherum attinet, firmum adhuc, immotum & inconcuſſum conſiſtere, uere teſtamur.

Secundũ, quo noſtri confiſi ſint, argumentũ Lutherus ſic deſcribit: Alterum, quo nitebantur, argumentum hoc erat, Chriſtus aſcendit in cœlos, ergo corpus & ſanguis ipſius in Cœna eſſe nõ poſsunt. Simul aũt & plures alios de aſcenſione Chriſti locos producebãt, & Chriſtũ in cœlos aſcendiſse nos magno ſtudio docebant, quaſi uero id ipſum per annos iam 1500. nemo unq̃ audiuiſſet. Sed & hoc argumentũ ſe illis æque potenter eripuiſse gloriatur. Licet enim Chriſtus corporaliter in cœlos aſcẽderit, nõ tamen ideo ſequi dicit, ꝙ nudus in Cœna panis & nudũ uinum ſit. Et hanc nucem (ſic enim Germanica parœmia quaſi de indiſsolubili argumento loquitur) noſtros nunq̃ uel mordere uel attingere uoluiſse ſcriptitat. Sed & hoc addit, falſo nimirũ & mendaciter hoc dici, ꝙ Chriſti in cœlos aſcenſio noſtros, ut corporalẽ in Cœna præſentiã & manducationẽ abnegarent, mouerit: cum uidelicet Cœna, priusq̃ in cœlum aſcenderet dominus, inſtituta ſit. Vnde cum primã Cœnam aſcenſio hæc nõ ſit remorata, nõ poſse non falſum eſse, quod aſcenſione moti ſint, ut præſentiã illam abnegarent, &c. Atqui Lutherus non ignorat (ſiquidẽ nõ ignorare uelit) cõtrouerſiæ huius caput nunq̃ in hoc fuiſse, num nudus panis & uinũ in Cœna ſint, ſed nũ panis & uinũ, quæ in Cœna apponũtur, corporaliter

Argumẽtũ noſtrum ab aſcenſione deſumptũ, Lutherus nõ euertit.

Controuerſiæ huius caput.

naturale Chriſti corpus & ſanguis ſint, ac à bonis ſimul & malis reuera comedantur & bibantur. Et hic quidem tam noſtri illi quàm noſipſi, uerum & naturale Chriſti corpus noſtro, id eſt, humano corpori per omnia (excepto peccato) ſimile eſſe, & clarificatum iam humani corporis infirmitates, non proprietates, depoſuiſſe, & proinde uere humanũ corpus, qualia & noſtra poſt reſurrectionem futura ſunt, manere & certo loco contineri, non ubiq; ſimul eſſe, docuimus & docemus. Atqui cum hoc Chriſtianæ fidei noſtræ conforme ſimul & irrefragabile ſit, ex eo quod uerum eſt non niſi uerũ colligitur, quod nimirum Domini panis, qui in eccleſijs per terras haſce ubiuis locorum diſperſis proponitur, non ipſum & naturale Chriſti corpus corporaliter exiſtat. Et hæc quidem omnia ſimul & ſingula noſtri certis & ſolidis è Dei uerbo deſumptis demonſtrationibus euicerũt, adeo ut manifeſte falſum ſit, ꝙ Lutherus noſtros nucem hãc nunquam uel mordere uel tangere uoluiſſe dicit. Legãtur ſaltem, quæ Zuinglius in ſecunda ad Lutherũ reſponſione copioſe tractat, in quibus ad hæc ipſa Lutheri uerba reſpondet. Inter alia autem ſic ſcribit: Chriſtus Dominus noſter inquit: Ecce ego uobiſcũ ero uſq; ad conſummationẽ ſæculi. Interim idẽ ille inquit: Poſthac non ero in mũdo. Quod ſi uerba hęc ſimplici & abſoluto ſenſu accipienda ſunt, ut nimirum in mundo ſit, & ſimul in mũdo non ſit, iuxta unam & eandem nimirum naturam & eſſentiam, impoſſibile equidem eſt, ut hæc Dei uerba ſint. Sed

Dei

Dei uerba certo ſunt: Neceſſariū ergo eſt, ut de di-
uerſis naturis ea dici & ſimul intelligi debere iudi
cemus. Vtrunq; enim in unam & eandē naturam
competere nō poteſt: & proinde Deus quoq; illud
facere non poteſt. Huic enim, ut quod iniuſtum, fal
ſum ac mendax eſt faciat, eſt impoſſibile. Sic enim
ipſe per prophetam Pſal. 88. ait: Quę procedunt de
labijs meis, non faciam irrita. His ergo probe con-
ſyderatis, fidem ſimul & charitatem in auxiliū uo-
cantes utriuſq; loci uerū & ineffabilē ſenſum ſcru-
tari incipimus. Et fides quidē, Chriſtus æterna pa-
tris ueritas hæc locutus eſt, inquit: Ergo hęc talia re
uera ſunt, nec aliter ſe habere poſſunt, q̄ qualia hic
eſſe pronunciat. Charitas autem ſic ait: Ah domi-
ne miſericors & mitiſſime pater, in ueritatis cogni
tionem certam peruenire unice cupio, ut nimirum
hac intellecta carnis meæ affectus quietior factus
fidei minus negotij faciat. Tu ergo, quo nam mo-
do diuerſi iſti loci & eorundem ſenſus diſcerni poſ
ſint & debeant, quò deniq; utrunq; horum referen
dum, & quo ſenſu accipiendum ſit, mihi oſtēdito.
Hæc ſi dicamus, mox ſpiritus ſui illuminatione &
litera, quæ ex ſpiritu hoc iuxta æternam ſuam pro
uidentiam & ordinationē ſcripta eſt, ueritatē nobis
reuelat Dominus. Dicit enim, Scrutamini ſcriptu-
ras. Mox ergo ad Ioannis euangelium recurrendo
eam inſtitutionē, quam Cœna peracta diſcipulis
tradidit, conſyderamus, & ex hac non obſcure in-
telligimus, ipſum non aliud uelle, quàm quod in
in mundo hoc corporaliter poſthac non ſit fu-

turus. Atqui hoc modo alterius illius dicti ſenſus nobis perſpectus eſt, eius nimirũ, quo ſe poſthac in mundo non amplius futurum dicit. Interim fidei quoq; ratio & intellectus ſic colligit: Chriſtus non minus Deus quoq; q̃ homo eſt. Cum uero fieri aliter non poſsit, quin Deus ubiq; ſit, Chriſtus haud dubie diuina ſua potentia & uirtute, qua nos tuetur, nobiſcum eſt in æternum. Quapropter fieri nequit, ut Chriſti uerba alterutra de utraq; in ipſo natura intelligamus. De diuina enim impoſsibile dictu erit, quod eam non ſemper nobis præſentẽ habituri ſimus: unde alterum illud Chriſti dictũ, quo dicit, Me nõ ſemper habebitis, de humanitate duntaxat illius intelligendum ſit. Similiter humanam Chriſti naturam in terris hiſce uerſari impoſsibile eſt. Deus enim mentiri non poteſt. Ille autem, Poſthac non ſum in mundo, diſertis uerbis inquit. Cœlum & terra igitur facilius tranſibunt, q̃ ut nos noſtra loquacitate, noſtris nugis & dicacibus gerris ipſum, ut terras haſce petat, adigere poſsimus. Marcus item cap. 16. ſic ſcribit: Itaq; Dominus quidem poſtquã locutus fuiſset eis, receptus eſt in cœlum, & conſedit à dextris Dei. Si in cœlum receptus eſt, iuxta humanitatem utiq; in terris amplius non eſt. Nam nec Lutherus nec ulla creatura Ieſu Chriſti humanam naturam uno & eodem temporis momento pluribus in locis ſimul eſse, hactenus demonſtrauit. Porrò ne Lutherus illud quoq; hoc loco nobis obijcere poſsit: In cœlum quidẽ receptus eſt Dominus, interim tamen cum illis adhuc erat, &c.

&c, ea quæ Lucas in Actis cap. 1. de hiſce tradit, accipite: Atq; hæc locutus, uidẽtibus iiſdem in altum ſublatus eſt, & nubes ſubduxit illum ab oculis eorum. Hoc modo itaq; ab oculis illorum diſceſſit. Et cum hic quoq; Lutherus ipſum euanuiſſe duntaxat, & ex conſpectu illorum ſublatum eſſe dicere poſſet, Lucas diligẽtius adhuc illud cauens effugium, paulò poſt ſubiungit: Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à uobis in cœlum, &c. En principes ſanctiſſimi, quanta cum luce hæc pronunciet. Qui in cœlum à uobis, qui in terris nimirum uerſamini, aſſumptus & receptus eſt. Nec illum in terris quidem eſſe dicit, ſed inuiſibiliter; uel quod cum diſcipulis ſit quidem, ſed non mortali modo, &c. Hæc minus animaduertere uolens Lutherus, contra infallibilem diuini uerbi authoritatẽ & teſtimonia, Chriſtum in Sacramento corporaliter præſentem eſſe, euincere conatur. Quod quid aliud eſt, quàm Chriſtum, qui uerus Deus eſt, mendacij inſimulare? Duo enim hęc, ut nimirum panis corpus ipſius ſit, & ipſe interim in mũdo quoq; corporaliter amplius non ſit, non magis ſibi inuicem conuenire poſſunt, quàm ſi dicam: Deus mundum condidit, & Deus mundum non condidit. Vel, Deus qui mundum condidit, facile efficere poteſt, ut ipſum non condiderit. Hoc autem non modo abſurdum cogitatu, uerum etiam dicere ſtultum eſt, &c. Huc uſq; Zuinglij uerba recenſuimus, quæ ſi cum præſentibus hiſce Lutheri argumentationibus conferantur, fideles pronũciare uolumus, num Lutheri

nux aliquem, qui hanc morderet, uel minus, inuenerit. Nos certe nucem hanc, ubi confracta eſt, caſſam eſſe, & Lutherum omnibus hominibus nuce perforata hactenus illudere uoluiſſe, arbitramur.

Aſcenſio præſentiam in prima Cœna non impediuit.

Deinde, Chriſti aſcenſionem corporalem in prima Cœna præſentiam & manducationẽ nihil impediuiſſe dicit, & proinde mentiri eos (tanta modeſtia enim in ſuis dictis Lutherus utitur, ut nũquam non ſui ſit ſimilis) qui in noſtra hac Cœna corporalem illam præſentiã & mãducationem aſcenſione impediri dicant: cum uidelicet nõ niſi una Cœna ſit. Chriſtum equidem in prima Cœna corporaliter diſcipulis ſuis aſſediſſe fatemur: ſed & panem ac uinum ĳſdẽ porrexit, dicens: Accipite, edite, Hoc eſt corpus meum, &c. Simul autem & illud manifeſto liquet, quod diſcipuli non illud ipſum Chriſti corpus, quod mox à menſa ſurgens mortem & paſsionem adibat, ſed panem, qui in corporis traditi memoriã à Domino inſtitutus & porrectus erat, corporaliter ore ſuo manducarint. Tunc temporis corporaliter, uiſibiliter & contrectabiliter menſæ accumbebat, diſcipuli uero eundem nõ eo modo, ſed ſpiritualiter comedebãt. Nunc uero poſtquam in cœlos aſcendit, non amplius ad eundẽ modum in terra agit, ſed ſurſum in cœlis eſt, à ſuis autẽ rurſus & ſemper ſpiritualiter manducatur. Quod aũt catholica eccleſia non aliam, quàm Chriſti Cœnam habeat, cum prima illa conuenit. Sed haud dubie ipſum Dominum quoque Lutherus mendacĳ accuſabit, qui (iuxta diui Auguſtini ſententiam)

tiam) Ioannis ſexto capite aſcenſionis ſuæ argu-mento diſcipulos erudit & inſtituit, quod ipſum corporaliter mãducaturi non ſint. Nec quicquam aliud noſtri quoq; per aſcenſionem hanc euincere uoluerunt, q̃ quod cum in cœlos aſcenderit, & corpus habeat uere humanum, nequaquam in Cœna corporaliter manducari poſſit. Auguſtini uerba hæc ſunt: Hoc uos ſcandalizat, quia dixi, Carnem meam do uobis manducare, & ſanguinem meum bibere. Si ergo uideritis filium hominis aſcendentem ubi erat prius. Quid eſt hoc? Hinc ſoluit illud quod non nouerant: hinc aperuit unde fuerãt ſcandalizati: hinc planè ſi intelligerent. Illi enim putabant eum erogaturum corpus ſuum, ille autem dixit, ſe aſcenſurum in cœlum, utiq; integrum. Cum uideritis filium hominis aſcendentẽ ubi erat prius: certe uel tunc uidebitis, quia non eo modo quo putatis erogat corpus ſuum, certe uel tunc intelligetis, quia gratia eius non cõſumitur morſibus. Tract. in Ioan. 27.

De aſcẽſione Christi & dextra dei.

Præterea, cum nouam quandam & implicatam de Dei dextera doctrinam Lutherus in libris ſuis tradat, non adeo mirum eſt, quod noſtros neſcire ait, quid nam ſit in cœlos aſcendere. Proprij enim capitis figmenta in tantũ illi arrident, ut quicunq; tandẽ illa non pro eximijs & certis Dei reuelationibus & oraculis citra omnẽ controuerſiã magna cum animorũ gratitudine & laudibus receperint, mox nihil intelligere, imò ſtupidi, bardi & aſini dicãtur. Sed iaciant licet in nos quęcunq; tandẽ fingi

poſſunt conuitia, Lutheri tamen de aſcenſione & ſeſſione Chriſti ad dexteram patris ſententiam, ne quaquam per omnia, prout ipſe de ijs diſputat, recipere poſſumus. Quantũ enim nos illũ capimus, in cœlos aſcendere nihil aliud eſt, q̃ ſeipſum inuiſibilem reddere. Chriſtum quidem uiſibiliter & uere corpore ſuo in cœlos aſcendiſſe dicit, mox tamen idẽ illud corpus uere & corporaliter, modo tamen inuiſibili, penes nos quoq; in terris eſſe teſtat. Sed & Dei dexterã ubiq; locorũ eſſe, & proinde Chriſtum quoq; cum ad Dei dexterã ſedeat, ubiq; locorum eſſe præſentẽ docet, omnia deniq; undiquaq; Chriſto plena eſſe, iuxta humanitatẽ quoq;, mox tamen addit, nõ circũſcriptiue, ſed ſupernaturaliter. En Chriſti fideles dilecti, tam intricatã et uanã opinionem, nos nec docere nec credere poſſumus, utcunq; tandẽ apud omnes male audiamus. Huius enim, quã Lutherus tradit, doctrinæ ullũ uel argumentũ uel exemplũ nec in ſcripturis, nec in fidei articulis, nec in ueteri catholicæ & ſanctæ eccleſię doctrina inuenire poſſumus. Nos cũ ſancta catholica fideliũ eccleſia ex Dei uerbo et fidei ingenio credimus & docemus, ꝙ Chriſtus corpore ſuo in cœlos aſcẽderit, in cœlis corporaliter agat, nec uiſibiliter nec inuiſibiliter ad nos ante rediturus, donec in nubibus ad iudicãdũ uiuos et mortuos ueniat. Hic uero Dei dexterã æternam & ubiq; præſentem Dei uirtutem eſſe non negamus, nec etiam illud, quod Chriſtus iuxta diuinam maieſtatem eodem modo nobis ubique & ſemper adſit. Interim tamen

cum D. Auguſtino Dei dexteram certum quoq; in cœlis æterni gaudij & beatitudinis locũ eſſe fatemur & docemus: in quo et uerũ Chriſti corpus corporaliter agit, nec ubiq; locorũ præſens eſt: quemadmodum & noſtra corpora olim in cœlis agent, nec ubiq; locorũ erunt. Naturarũ enim in Chriſto proprietates & differentias nec miſcere, nec cõfundere, nec euacuare, ſed diſtinguere, & in una indiuiſa perſona uere retinere uolumus. Quàm Chriſtianè uero & q̃ cõuenienter iuxta ſcripturæ & primitiuæ eccleſiæ doctrinam anteceſſores noſtri de Chriſti aſcenſione & Dei dextera ſenſerint docuerintq́;, ex ſcriptis illorũ ſuper hac re æditis euidentiſſime conſtat, in primis autẽ ex Bernenſi diſputatione circa finem nimirum quartæ propoſitionis, & ex ſecunda Oecolampadij ad Lutherũ reſpõſione cap. 5. Zuinglius in utraq; ad Lutherũ reſponſione ſingulari diligentia & ſtudio de hiſce diſputauit. In prima Lutheri paralogiſmum euidenter ſoluit & infringit, quo ille ſic argumentabatur: Dextera Dei eſt ubiq;: Chriſtus eſt ad dexterã Dei: ergo corpus Chriſti eſt ubiq;. Ipſam reſponſionẽ, ſi quis copioſius cognoſcere uelit, inſpiciat. In eadem uero illa, inter multa alia ſic ſcribit Zuinglius: Dominus inquit; Me non ſemper habebitis. Expedit uobis, ut abeam hinc: Iterum relinquo mundũ et uado ad patrem. Si quis uobis dixerit, Ecce hic Chriſtus aut illic, ne credatis. Amodo uidebitis filium hominis ſedentẽ à dextra uirtutis dei. Poſthac non ero in mundo. Hæc (inquã) omnia de humanitate ſua pronũciat. Qua-

prop[illegible]r ſingulorum iudicio facile expendi poteſt, iuxta uerbi ſui authoritatem impoſſibile eſſe, ut humanitas ipſius in mundo hoc corporaliter pręſens ſit, cum illud tam euidenter ipſum negauiſſe uideamus. Nec enim ea facit, quæ cũ uerbi ipſius ueritate pugnant. Hinc ergo colligitur, propoſitionẽ illã tuam (cum Luthero autẽ hic illi res eſt) uel concluſionem potius, qua Chriſti corpus ubiq; eſſe dicis, nõ falſam modo, uerumetiã impiã et minime Chriſtianam eſſe. Chriſtianũ enim eſſe nõ poteſt, quod cum Chriſti uerbo & doctrina adeo manifeſte pugnare cernitur. Cũ ergo Chriſti corpus ubiq; locorum diuinitati * coæquale & coëſſentiale & eiuſdẽ potentiæ particeps eſſe dicis: Chriſtus uero è cõtra pronunciet: Iterũ relinquo mundũ, Et poſthac non ero in mundo, ſed et alia multa, quorũ modo meminimus (quæ ad ſolã humanitatẽ ipſius referri poſſunt: diuinitas enim ubiq; ęſt) ſermo ille tuus omnino falſus & uanus eſt, nec unquã euincere poteris, quod humana Chriſti Ieſu natura uno et eodẽ temporis momento pluribus q̃ uno in loco eſſe poſſit. Licet uero ipſe etiã hoc loco ingentem dæmonum uim, conuitia infinita & atrociſſimos ſeſquipedalium uerborũ fragores in te expuerem, & hiſce cauſam meam uellem aſſerere, ueritas tamen his nihilo illuſtrior reddetur, nec etiam error ille tuus in lucem clarius protrahetur, quàm in præcedentibus hiſce rationibus factũ ſit, quibus legitime concinnatis omnia noſtra ſolidis teſtimonijs ex ipſiſſimo Dei ore deſumptis comprobauimus. Chriſti ergo

* Glychmeſſig vñ glych wåſend.

humanitas

humanitas nequaq̃ omni in loco eſt, ubicunq; Dei dextra fuerit: ſed Chriſtus ubiq; eſt, ubicunq; Dei dextra eſt, non quidem iuxta utrãq; naturam, ſed iuxta diuinam ſolummodo. Interim tamen nõ offendimur hac locutione: Chriſtus ubiq; eſt, ubicunque Deus eſt, & (quemadmodum tu quoq; dicis) extra Chriſtum nullus deus eſt, nullaq́; deitas. Quamuis hæc iuxta allœoſim utriuſq; naturæ de diuina duntaxat, non humana, intelligamus. Hoc ipſum uero iam euidentiori demonſtratione comprobabimus.

CVM angelus mulieribus, quæ Chriſtum reſurrectionis die quærebant, diceret: Surrexit, non eſt hic: num Dei dextera eo in loco, in quo angelus ille erat & mulieres, præſens aderat, uel minus? Illam ſanè etiam illic adfuiſſe nunquam poteris negare: alioqui media illa propoſitio tua, Dei dextra ubiq; eſt, coſiſtere non poſſet: quod ipſum tamen uel cogitare à pio alieniſſimum eſſe debet. Quod ſi ergo Dei dextera illic præſens erat, Chriſtus autẽ ibidem non erat præſens (quod tamen de ſola humanitate ipſius debet intelligi) iam inuincibili argumento cõprobatum eſt, Chriſtum non ubiq; corporaliter præſentẽ eſſe, ubicunq; Dei dextera eſt. En quot tibi nodos proponamuś, quorũ nullũ unquam ſoluere potes, nec tamen inſtitutionẽ aliquã admittis. Hæc oĩa Zuinglij ſunt. Et hæc quidẽ ceu in tranſcurſu in ueritatis patrociniũ de Chriſti aſcenſione et dextera Dei diſſeruimus, bona nimirum ſpe freti, fideles hinc facile agnituros eſſe, nos nihil Chriſtiana religione indignũ de Chriſti aſcenſione ſentire.

Ex his ergo omnibus diuinæ ueritatis teſtimonio comprobatis euidentiſſime conſtat, ſecundam quoq; Lutheri admonitionẽ nequaquam iuſtæ & & dignæ admonitionis loco habendam eſſe, cum noſtræ ſententiæ argumenta, non modo non confutare, ſed ne loco quidẽ uel tantillum mouere hactenus potuerit: præterea, nec ſuam doctrinã tanta claritate & certitudine firmarit, ut noſtrã deſerere & in illius partes tranſire bona conſcientia nobis licuerit, niſi fortè pro luce tenebras & pro eo quod certum eſt aliquid incertius amplecti uoluiſſemus.

Ad tertiã admonitionem reſponſio. Tertiam, quæ nobis induratæ malitiæ & pœnitere neſcijs hominibus obuenerit, admonitionem Lutherus huiuſmodi uerbis producit: Tertio per horrendum Dei iudiciũ admonebantur, cum Zuinglius (ut ipſorũ hiſtoriæ & literæ tradunt) & cum ipſo circiter 5000. uirorũ, optimorũ hominum, cæderentur. Quamuis graue illud irati Dei iudicium ipſi gratiæ ſignũ eſſe interpretari conarentur. Porrò licet Pontificijs eadem obiectione nos oppugnantibus iam olim ſufficiẽter reſpõderimus, nunc tamẽ paucis rem omnem abſoluemus hoc modo. Cladem in eo, cuius modo mentio facta eſt, bello acceptam quotquot apud nos uere fideles ſunt fidam Dei admonitionẽ eſſe iudicant, non eo tamen ſenſu, quod Dominus & Deus noſter propter fidẽ noſtram, quàm in æterni uerbi ipſius oraculis fundatam certò ſcimus, ſed propter uitã noſtrã nos punire uoluerit. Veram quidẽ ac orthodoxam doctrinam & tunc habuimus & habemus etiã hodie, illi

uero

uero minus obſequimur, & in factis & in uita noſtra multũ deſiderari poteſt. Vnde Dei uerbũ in nobis completur: Seruus, qui nouit uoluntatem Domini, pluribus plagis uapulabit. Interim uero non in uniuerſum nos repudiauit Dñs. Cum enim & ipſe miſericors ſit, & fides in nobis inueniretur, & religionis cauſæ optime conſultũ uellent noſtri homines, Domini iudiciũ (ut Petrus ait) à domo domini cœpit. Nec iuxta indignationis ſuæ furorem, ſed iuxta gratiã ſuã nos uiſitauit. Licet enim & opũ & hominũ iacturam fecerimus, euangelicã tamen doctrinam & fidẽ non amiſimus, in qua noſtrates ab eo tempore uſq; nunc in annũ iam decimum quartum per Dei gratiam in ſumma concordia & pace perſeuerãt, præter id quod in multis alijs quoq; ſuo fauore & paterno animo Dñs Deus nos reſpicere dignatus eſt. Sic ut non immerito hanc uiſitationẽ ipſius gratiæ ſuæ ſignũ eſſe æſtimemus. Quod ſi uero uel propter Sacramenti cauſam res hæc infœlicius nobis ſucceſſiſſet, nihilominus tamen gratiæ ſignũ illud eſſe dicendum foret. Cum enim Paulus Corinthios morbis letalibus, eò quod Sacramẽto abuterentur, puniri docet, mox addit: At cũ iudicamur, à Dño corripimur, ne cum mundo condemnemur, 1. Cor. 11. Cæterũ clades hæc non ꝓpter Sacramentũ nobis euenit. Deus enim neminem propter eam doctrinã & fidem, quã ipſe tradidit, punire ſolet. Quã ob rem admonitio hæc Lutheri inſtituto nequaquã ſeruit. Florentiſſimis regnis, clariſſimis nationibus, ciuitatibus honeſtiſſimis magnæ cala-

mitates, multo etiam, q̃ noſtra hæc fuerit, grauiores obtingere conſueuerunt: nemo tamen ideo uel hæreticos uel falſæ fidei & religionis ſectatores eſſe dicit. Solus Lutherus & pauci quidã cũ illo inuiſas huiuſmodi & peruerſas obiectiones ꝓferunt, cũ argumenta potius ſolida & firma proferre deberent. Porrò ante annos aliquot quidã è noſtris D. Ioãni Fabro Viennenſi epiſcopo eadẽ de re copioſe ſatis reſponderunt. Lutherus enim in tantũ proficit, ut iam iiſdem cum Fabro obiectionibus uti cogatur.

Præterea nemo ueritatis ſtudioſus cũ Zuinglio quinq; millia uirorum cecidiſſe dicere poterit. Nõ ignoramus equidẽ quid in Chronicis ſuis ſcribat Carion. Eũdem uero illum à ueritate (nihil hic inciuilius dicere uolumus) procul aberrauiſſe certis & fide dignis rationibus demonſtrare poſſemus. Quamuis ſi uel tot centena ſolummodo, quot milia Lutherus numerat, deſiderata ſunt, tamen & hic numerus plus ſatis, proh dolor, magnus & funeſtus eſt. Nam (ut Lutherus uere pronunciat) uiri boni fuerunt & perq̃ egregii. Cum uero iidẽ illi P.M. ſanctiſſimi fortiſſimiq; uiri, nõ ſine magno ſolatio fœliciter in ea fide obdormierint, quam Lutherus tam diris cõuitiis laniat, mirum equidem eſt, quod eoſdem illos laudare dignatur. Sed æternæ Dei ueritati cõfiſi ipſos (licet quàm maxime ab illo uituperarentur) laudem ſuam apud fidelium eccleſias obtinere, & in magno illo die coram Domino lætis conſcientiis comparituros eſſe ſperamus.

Illud cũ primis indigne fert Lutherus, quod quidam

dam è noſtris Zuinglium ſanctum dixerũt. Atqui Paulus omnes eos ſanctos uocat, qui ꝑ Chriſti ſan guinẽ in fide & Dei ſpiritu mundati & ſanctificati ſunt, 1. Cor. 6. Adeo ut citra omnem tam Pontificis ꝗ Lutheri canoniſationẽ iuxta hunc modũ unuſquiſque fidelium, doctus uel indoctus, ruſticus uel ciuis, ſanctus eſſe & fieri poſſit. Lutherus ex D. Auguſtino uere pronunciat, quod cauſa bona & ſancta hominis quoq; paſſionẽ bonã et ſanctã reddat. Quapropter cũ Lutherus Zuinglij cauſam prauã et iniuſtã eſſe hactenus euincere nõ potuerit, certe nec paſſionẽ quoq; ipſius illi uel uitio uertere uel igno miniæ aut infamiæ loco iudicare poterit.

Simul autẽ & hinc conſtat, ꝙ non temerariũ mo do, ſed et impiũ et à Chriſtiana religione alienũ ſit Lutheri iudiciũ, quo Zuingliũ condemnat, dicens: Zuinglium in magnis & multis peccatis (quemad modum ultimus ipſius libellus teſtatur) & blaſphe mijs occubuiſſe certò ſcio. Et quis nã alius Lutherũ huius iudicij ſui tam certũ reddidit, prçter priuatã il lam & audacem ipſius arrogantiã? In ultimo certe Zuinglij libello dãnationis cauſam iuſtã nõ inuenit. Illud enim in primo tractatu euidenter per nos demonſtratũ eſt. Alias uero, præter hanc, cauſas iuſtas & æquas nõ habet. Lutherus ergo ſui iſtius cõtra Zuingliũ iudicij tã certus, ꝗ temerarius & arrogans eſt. Porrò ꝙ cõmeatus abnegationẽ & itinera obſeſſa attinet, illud omne ꝑ ſanctiſſimũ magiſtratum noſtrũ, priuſquam bellum illud exoriretur, pu blicis ſcriptis explicatum eſt, quibus & hæc Lutheri

Lutherus Zuingliũ temere dãnat.

criminatio iam olim confutata eſt. Cæterum iſtius negotij, utpote politici & ad magiſtratū pertinentis, tractationem uolentes præterimus. Nec enim quicquam ad nos pertinet. Præterea magiſtratui ſimul totiq; populo pax & concordia cum ſocijs & cōfœderatis ſuis (qui tunc aduerſus nos arma geſſerant) interceſſit, & omnes ſe inuicem amicos & benignos præbent, pacata quoque per totam Heluetiam ſunt omnia, ut iure equidem Lutherus quoq; uulnera coalita non refricaret, atq; ab huiuſmodi odioſarum rerum cōmemoratione abſtineret. Ad hæc, fides noſtra orthodoxa & Chriſtiana, omnes homines qualibuſcunq; tandem peccatis immerſi ſint, in extremo quoq; uitæ ſuæ articulo gratiam et beatitudinem conſequi poſſe docet, ſi peccata ſua agnoſcant, diuinæ miſericordiæ confidant, & eiuſdem gratiā implorent. Notū hic omnibus eſt præclarū illud et conſolationis plenū latronis crucifixi exemplū, de quo ueteres dixerūt: Latrociniū damnationem meruerat & ſupplicium, ſed cor contritum pœnā mutauit in martyriū, & ſanguinē in baptiſmum. Licet ergo Zuinglius nihil unquam in terris hiſce uel boni uel honeſti feciſſet, in ultimo tamen uitæ ſuæ exitu peccatorū ſuorū pœnitentiā egiſſet, num tanta confidentia, qua nunc utitur, Lutherus illum damnare poſſet? Vel, num morienti adfuit, ut eum ſine pœnitentia & fide mortuū eſſe tam certò nouiſſe queat? Quidam certe aduerſæ etiā partis homines, qui morienti affuerunt pium & Chriſtianum uitæ ipſius exitū fuiſſe teſtantur, quem in me-

Cypria-nus.

dijs

diis quoq; afflictionibus cõſtanter obtinuit. Cum uero præter hæc omnia Zuinglius (ut certò cõſtat) eximiis à Deo dotibus ornatus à primis annis ſtatim bona fide & integritate in eccleſia Dei laborarit, multumq; fructus attulerit, quibus & diaboli et Antichriſti potentiæ plurimum derogauit, & Chriſti regnum euexit, cum præter hæc honeſte & pie uixerit, patriam unice amarit, & huius incolumitatem prouehere & reducere impenſe ſtuduerit, & in his omnibus in extremam uſq; obitus ſui horam non ſine magnis laboribus & moleſtiis perſeuerarit, quid prohibebit, ne ipſum per Dei gratiã & miſericordiam, quam tanta fide docuit & celebrauit, à Chriſto Domino ſuo, cui ſeruiuit, in uitam et gratiam aſſumptum eſſe ſperemus? Quis autem uera ratione præditus & nulla priuatorum affectuum intemperie agitatus homo temerariũ illud in uita defunctos & bene meritos Lutheri iudicium non miretur ac horreat? Nec ideo hæc dicimus, quod Zuinglium ut ex omni parte perfectũ, & ab omni macula & infirmitate alienum hominem cunctis obtrudere uelimus. Minime in hoc ſumus, ô fratres. Homo fuit, ſuis quoq; affectibus & carnis infirmitate laborans, interim tamẽ in fidei & doctrinæ negotio fidus fuit & integer. Lutherus quoque ſuis affectibus & uitiis, inſtar hominis, laborat, affectuum intemperie nimiũ abripitur, in dicendo inciuilis admodum, & in nonnullis articulis pertinacior eſt q̃ ſolidior & inſtructior. In omnibus uero hiſce fidelem erga nos Dei prouidentiam & admo

Zuinglius fidus eccleſiæ miniſter.

nitiones cernimus, qui huiuſmodi exempla nobis ob oculos ponit, ne cuiquã hominũ nimiũ tribuamus, nullius authoritate nimiũ nitamur, nulli deniq; ulterius fidem habeamus, quàm æterno Dei uerbo docere, exponere & demonſtrare poteſt.

Multi labores et libri. Quale uero hoc eſt, uel quid nam Lutherus per hoc ſe effecturum ſperat, quod mox ſubiungit, audire ſe, quod librorum quos ſcribimus copia & laboribus noſtris in eccleſia et ſcriptura ſacra aſſiduis plurimũ fidamus: ſed omne hoc fruſtraneũ eſſe & inutile, &c. Quod fiduciam noſtrã attinet, auditu ſuo fallitur, nec illi quoq; ueritati ſtudẽt, qui huiuſmodi famam ad illum deferũt. Nullo alio, q̃ ſolius diuinæ gratiæ præſidio in Chriſto Ieſu Domino noſtro cõfiſi nitimur. Fatemur autem, quoſdã è noſtris multorũ & pietate & eruditione inſigniũ fratrum precibus & literis è multis & diuerſis nationibus miſſis cõmotos quædã ſcripſiſſe & publicis typis in lucem expoſuiſſe: ſed et nunc quidã ſcribunt, qui & ipſi labores ſuos ubi cõmodum fuerit in lucem proferent, omnia tamẽ hæc ut ueritas prouehi & eccleſia ædificari poſſit, fiunt. Quid uero hinc damni ad Lutherũ redit? Vel num citra ipſius permiſſionẽ nemini ſcribere licebit? aut num quæ ſcribuntur non ante, quàm ab ipſo approbata fuerint, in lucem ædenda erunt? Nôſtram uocationem & mandatũ à Chriſto habemus & eccleſia. Sed & omne iudiciũ penes eccleſias eſt. Quieſcat ergo Lutherus, nec ſibi nimiũ arroget. Verũ omnia eius eò tendunt, ut ſuã apud omnes authoritatẽ prouehat, nos

autem

autem omnibus ceu ſceleratiſſimos homines et diaboli martyres inuiſos reddere poſſit. Ferre igitur nequit ut quis uel aliquã laudẽ nobis tribuat, imò uel tales eſſe cogitet, qui res omnes bene adminiſtrare & eccleſijs fideliter ſeruire ſtudeamus. Ob hæc enim tanta indignatione incẽditur, ut diſertis uerbis dicat: Iudæi quoq; in ſcripturis multos labores exhauriunt, idq; per annos iam 1500. Imò, quot hæreticos dabimus, qui tam docendo q̃ ſcribendo non plus q̃ Chriſtiani laborauerint? His certe, non ꝓpter Iudæos & hæreticos (cũ quibus nihil nobis negotij eſt) ſed ꝓpter ueritatẽ & catholicæ eccleſiæ honorẽ & gloriã, reſpondere omnino oportet: nullos uidelicet uel Iudæos uel hæreticos in oĩbus hiſtorijs inueniri, qui in laboribus & ſtudijs, ipſis catholicæ fidei ſectatoribus, magis aſſidui fuerint. Hanc ergo ut offendiculi plenã, ita lõge uaniſſimã calumniã à Chriſtianis hoĩbus longe depellemus. Licet enĩ hæreticorũ q̃dam multos labores ſuſtinuerint, plures tamẽ è cõtra è Chriſtianorum numero dare licet, q plus ipſis laborauerũt. Et, ut uel pauciſſimos ſaltẽ è tanta Chriſti fideliũ multitudine numeremus, quos nobis dare poterunt oẽs uel Iudæi uel hæretici, q cũ noſtro Origene, Athanaſio, Hieronymo, Auguſtino et alijs huiuſmodi merito cõferantur? Omnes certe hæretici & Iudæi illorũ labores ſatis admirari non potuerunt. Hæc tamẽ omnia Lutherus non curat, & quia ira tantummodo in nos furit ac ſpumat, tam abſurdos & inconuenientes ſermones expuit, nulla interim præmeditatione habita

Iudæorum & hæreticorum labores.

Origenes tamen ſuos quoq; errores habuit.

num ad Eccleſiæ totius honorē & gloriam uel infamiam faciant. Deus faxit ut hæc tandem agnoſcere & melius ſapere incipiat.

His uero omnibus abunde ſatis demonſtratum eſſe arbitramur, Lutherumq; audax illud, iniquum et à Chriſtiana religione cumprimis alienū nos damnandi inſtitutum tribus hiſce admonitionibus ſuis nequaquā tueri & aſſerere poſſe. Pauli & Ioannis contra hæreticos prolatæ ſententię in nobis locum non habent. Nos enim per Dei gratiā & nunc & ſemper tales fuimus, talesq́; fuiſſe conſtat, quales orthodoxæ fidei ſectatores & Chriſti miniſtros eſſe conuenit, ut qui Chriſtianā fidem & apoſtolicā doctrinam aſſeramus: cum hæreticis uero nec nobis nec eccleſijs noſtris, q̄bus ſeruimus, quicquā commercij eſt, nec in poſterum quoq;, diuina ſic fauente gratia, erit. In ſancta Chriſtiana fide, in orthodoxa & ueteri apoſtolicæ eccleſiæ doctrina, non ulla incredulitate aut hæreſi, per Chriſti gratiam perſeuerabimus, & in ijſdem illis, quandocūq; & quocunq; tandem modo uocarit nos Dñs, moriemur. Deus hic ſuam nobis gratiam conferre dignetur.

Falſiſsimorū & à Chriſtiana religione alieniſsimorū conuitiorū et criminū, quibus Lutherus Chriſtianos hoīes præter omnem modum & modeſtiam traducit & obruit, purgatio.

LVtherus ultimum hunc libellum ſuum Breuem de Sacramēto Confeſſionem inſcripſit: & ſanè ſi diuinæ ſcripturæ locos, argumenta iuſta & ſolida in illo

inquiras,

Inquiras, nimium breuis eſt: rurſus uero, ſi conuicia, calumnias & criminationes conſideres, plus ſatis prolixum & magnum uidebis: talis enim eſt, ut in maximis reliquorum doctorum omnium operibus nihil eiuſmodi inuenire poſſis, niſi fortè Thomæ Murneri & aliorum pontificij ordinis ſcriptorum maledicentiã cum Lutheri ſcriptis cõferas. Sed & alij ferè omnes ipſius libri eundem genium habent, quo multi ſimplices & infirmi in tantum offendi ſolent, ut uniuerſum euangelij negotium ipſis ſuſpectum & inuiſum fiat. Diuinos equidem prophetas, Ioannem Baptiſtam, apoſtolos electos, ac omniũ horum dominũ & caput Ieſum Chriſtũ noſtrum redemptorem dicendi acrimonia & duris uerbis uſos nonnunquam fuiſſe fatemur. Modum tamen in omnibus iſtis tenebant, & ſimul rationibus quoque firmiſſimis auditorum animos in ſuas partes pertrahebant. Lutherus autẽ modum nõ ſeruat aliquem, ſed plęraque ſua ſcripta præter conuitia & criminationes nihil ferè aliud cõtinent, adeo ut licet argumentũ nonnunquã firmum & ſolidũ inueniat, idẽ tamen tot fœdis & diris uerbis farcit & onerat, ut ſaniorẽ doctrinã ſub tam diris criminationibus latentem uix poſſis deprehendere: ut interim de eo nihil dicamus, quod ſcriptis ipſius per ſe non multum perſuaſoriæ uirtutis ineſt. Illorũ correptiones graues erant & minime leues. Lutheri correptio ut minimũ grauitatis, ita leuitatis plurimum & nimiũ habet. Illi Dei gloriæ, non priuato honori, nõ ſuæ pertinaciæ & ſuperbiæ ſtudebant,

Quales ſint prophetarum & apoſtolorũ correptiones.

ſed & peccatorum ſalutē quærebant unice, adeo ut licet acribus nonnunq̄ uerbis inueherentur, in ipſa tamen acrimonia paterni ſpiritus ingenium eluceſceret. Lutherus ſua quærit, pertinax eſt, inſolentia nimia effertur, & cōfeſtim Satanæ tradit, quotquot illius ſententiæ non illico ſubſcribere uelint. Et in oībus correptionibus ſuis plurimum maligni ſpiritus, q̄ minimū uero amici & paterni ingenij deprehenditur. Dei miniſtri iuxta delicti culpā & rationē correptiones ſuas uel intenderunt uel leniuerunt. Lutherus primo ſtatim conatu omnia quę habet maledicta profundit. Qui enī in uno aliquo errarit, illi oīa reliqua bona opa inutilia et inania eſſe dicit, prętare deniq; ut pro his peccata potius et mala opa faciat, ut uel ſic ſua ipſius facta poſſet agnoſcere. Dei miniſtri eos duntaxat q correptionē merebantur, corripiebāt. Lutherus inſontes q̄q; cū ſontibus inuadit, eosq́; nō minori amarulētia & immanitate, q̄ ſceleratiſſimos nebulones ꝓſcindit. Quapropter ſanctiſſimorū dei prophetarū et apoſtolorū acres correptiones Lutheri exēplo minime patrocinari poſſunt. Sed & immania illa, quæ nobis intentare conatur, crimina, nullis unquam demonſtrationibus ueris probabit.

Vt Lutherum ſua illa conuitia dedeceant. Atqui hic uel officij ſui curā habere debebat Lutherus. Qui enim Chriſti miniſter eſt, Dñi negotiū ſolūmodo agere debebat, & os ad diuini uerbi prædicationē à Dño purgatū, nequaquā tot ſordibus, diabolis, cōuitijs & tanta fellis amarulentia ſcatere conueniebat, Paulus apoſtolus cœlorū regno cōuitiatores

tiatores & calũniatores omnes excludit, & quales Chriſtianorũ ſermones eſſe deceat diligẽter docet. Coloſſ. 4. Epheſ. 5. Et Dñs inquit: De quocunq; uerbo ocioſo, quod locuti fuerint homines, reddituri ſunt rationem in die iudicij. Adhæc mundus per ſe non ocioſorum modo, ſed & leuiſſimorũ uerborũ, conuitiorũ, ſcommatum, execrationum, calumniarum, obtrectationũ & infamiarũ, omnis deniq; obſcœnitatis totus plenus eſt. Lutherũ ergo tã inſulſi ſoli ſalem eſſe decebat, ipſe uero uel nimium amarulentiæ addit, uel conuiciando alijs exemplũ præfert. Magna enim & plus ſatis magna eorũ concionatorũ eſt copia, q ex Lutheri libris lædorijs & mordacibus ingentẽ maledictorũ uim colligentes, eandem illã poſtea in publico ſuggeſtu in miſerũ Dñi gregẽ exonerant. Et cum Dei uerbũ prædicandum & ex hoc fides, ſpes & charitas docenda, homines item monendi, corripiendi, conſolandi, inſtituendi & perſuadendi erant, nõ aliud quàm fanaticos, ſectarum authores ſpiritus, Sacramentarios, Sacramentorum hoſtes et prophanatores, hypocritas, ſeditioſos, diabolos, hæreticos et infinita huius generis indigna conuitia crepant, quæ indies de nobis noua & inaudita comminiſcuntur: imò ſe ſuo officio nequaquã functos arbitrantur niſi omniũ auditorũ aures huiuſmodi indignis clamoribus oppleuerint. Iſti hoĩes tam nos quàm doctrinã noſtram multorum animis tam ſuſpectam reddunt, ut qui ſimpliciores ſunt, nos reuera Dei ſimul & Sacramentorum hoſtes eſſe, nec ullum fidei articulum

Mordaces quorundã contiones.

rite docere credant. Sed uidete tandem ô conuitiatores, uidete ô calũniatores, quibus rationibus hoc peccatum ueſtrũ, quod in ipſam quoq; Dei ueritatem cõmittitis, corã Chriſti tribunali & iudicio excuſari poſſe arbitremini. Vos uero, ſancti & fideles homines, contra inſontes & nihil tale meritos uos irritari ne permittatis. Alterius quoq; partis rationes audite, iuſto iudicio de ſingulis decernite, & iuſta ſanctiſſimæ fidei regula quęcunq; uobis proponuntur, expendite. Cæterũ ex iſtiuſmodi paſtorum exemplo indignũ illud conuitiandi & calumniandi ſtudiũ in totam plebem quoq; ſeſe diffundit, ut pleriq; iſtorum, qui cum primis euangelici uideri uolunt, ſuum illud euangelij ſtudiũ maledictis ſolummodo & amarulẽtis dicterijs teſtari uelint. Et hoc deinde apud plures hominũ laudem meretur. Lutherus enim, Germanorum propheta & apoſtolus, idem facere conſueuit. Hinc autẽ fit, ut inſigne ſcelus uirtutis loco habeatur, unde plurimũ offendiculi manare uidemus.

Quod nos priuatim attinet, Lutheri cõuitia non magni facimus, nec eiuſdem calumnias multũ moramur, partim quidem ꝙ Lutheri temeritas & immodeſtia fidelibus multis iam pſpecta eſt, qui etiã quales nos ſimus nequaq̃ neſciunt, partim uero ꝙ & nos noſtræ innocentiæ nobis probe ſumus conſcij. Simul aũt, quid Chriſto domino noſtro acciderit, & quid per hunc nobis promiſſum ſit, nõ ignoramus. Hũc ut ab omni malo nos tueri, & ſi quando prouocati in hac reſponſione noſtra acerbiores

æquo

æquo fuimus, nobis clemēter ignoſcere dignetur, oramus. Quapropter Chriſtiano Lectori non multum hac cauſa moleſti poſthac erimus, ſed quędam tam nobis ipſis q̃ noſtris hominibus intentata per Lutherum crimina paucis expedire ſimul & declinare uel confutare inſtituimus.

Nec nos nec noſtri hactenus (ut Lutherus iactitat) blaſphemiæ & mendacij conuicti ſumus. Imò infamem hanc & ignominioſam Lutheri camlum niam noſtri iam olim in ſcriptis ſuis digne & fortiter excuſſerunt. Sed & nos hactenus tam in doctrina q̃ in hac Cōfeſſione noſtra, nullū mendacium, ſed ipſiſſimā ueritatem tradidimus. Optaremus denic Lutherū ab om̄ibus iſtis, quæ nobis & noſtris impingere ſtudet, tam alienū eſſe & liberum q̃ nos ſumus. Quàm probe enim cum ueritate illud conueniat, quo Lutherus noſtros mendacij cōuincere conatur, fideliū iudicio examinandū relinquimus. *Blaſphemiæ et mendacij conuicti ſunt.*

Manifeſtis (inquit Lutherus) demonſtrationibus euici, ꝙ ea quæ de *inutili carnis diſceptatione & Chriſti aſcenſione proferebant, carnaliter expoſuerunt, & mēdaci ac falſo ſenſu iis uſi ſunt. Atqui noſtri illi nihil de inutili carnis diſceptatione, ſed de eius manducatione diſputauerunt, nempe ꝙ Chriſti caro ad ſalutem ſpiritualiter, nō carnaliter manducanda ſit. Hanc enim carnaliter manducatā non prodeſſe quicquā. Qua ratione ergo Chriſti uerba Ioan. 6. carnaliter accipi uoluerunt, niſi ꝙ de uera Chriſti carne illa expoſuere, q tamen uetuſtiſſimus illius loci ſenſus, non mēdax & falſa (ut Lutherus *Von vnnützem fleiſch reden.*

temere & immodeſte nimis pronunciat) interpretatio, ſemper fuit. Et Lutherus in hac ſua breui Cōfeſſione, Chriſtus (inquit) nullū ſpirituale corpus nec ſpiritualem ſanguinē aſſumpſit, nec tale quidpiam pro nobis tradidit, quemadmodū & ipſe teſtatur, dicens: Contrectate me & uidete, ſpiritus carnem & oſſa non habet, quemadmodum me uidetis habere. Cū ergo Chriſtus iuxta Lutheri quoq; Confeſſionem (quæ hic cum ipſa ueritate conuenit) nullū ſpirituale corpus habuit, & proinde corpus ipſius, uerū, id eſt, corporale uel carnale, id eſt, uere humanū corpus fuit, & ipſe eodem illo, non alio, in cœlos aſcendit, qua ratione quæſo aſcenſionis articulum noſtri ſpiritualiter, non carnaliter intelligere & exponere debuerunt? Chriſti caro enī uel uerū corpus ipſius & humana eiuſdem anima in cœlos aſcēdit. Fideliū ergo iudiciū eſto, utri nam mēdacem & falſum loci huius ſenſum proponāt. Lutherus aūt caueat, ne in ipſum crimen illud recidat, quod alijs intentare conatur. Quis uero abſurdis iſtis de panaceo Deo, cocto Deo, & alijs huiuſmodi locutionibus abſurda ſua & parū ſacramentali doctrina occaſionē præbeat, in ſecūdo huius libri tractatu abunde ſatis demonſtratū eſt. Porrò q; Lutherus Deum eodē modo & aqueū & nubilū dici poſſe ſcribit, eo q; aqua baptizatus, & in nube in cœlos aſſumptus ſit, & abſurdos & offendiculi plenos ſermones eſſe cenſemus, quales nunq̄ antehac audire contigit: quāuis eum, qui aqua baptizatus, & in nube in cœlos aſſumptus eſt, iuxta ſcripturarū

oracula

oracula uerum Deum (non autem ideo uel aque-um uel nubilum &c.) eſſe certo credamus.

Deum nos mendacij nequaquam arguimus. Oībus enim & ſingulis Dei uerbis, ut quæ irrefragabilia ſint, in uero ſenſu, quem ipſa fides & ſcripturæ prodūt, fidem habemus. Et hic quidē Lutheri regulam (quæ ſana & orthodoxa eſt, à ueteribus ſemper uſurpata. Vtinam ipſe quoq; illam ſectari ſtuderet) quā in Cantici Mariæ uirginis expoſitione tradidit, ſequimur. Si quando in ſcripturis propter contrarios ſibi inuicem locos contentio oboritur, nequaquam unum aliquem locum decem aut uiginti alijs opponere & hos iuxta unici illius ſententiam torquere conuenit, ſed unicus ille pluribus alijs, imò toti ſcripturæ cedere & iuxta multorum teſtimonia exponi debet. Hęc Lutherus. Tunc ergo nos Deum mendacij accuſaturos eſſe credimus, ſi propter unicam hanc & Sacramentalem locutionem, Hoc eſt corpus meum, omnes ſcripturas ſimul torquere & Deum contra ipſius uerbum cogere uellemus, ut corpore ſuo humano in Cœna nobiſcum, ſimul uero contra omnem humanæ naturæ proprietatem corporaliter, ſed tamen inuiſibili modo, ubiq; locorum pręſens eſſet &c. Lutherus ergo in nos uiolentus & iniurius eſt, cum nos hoc loco Dei uerbum adulterare & peruertere dicit. Dei uerbum enim per nos immotum & inuiolatum ſtat, nec ullum uel alienum uel peruerſum ſenſum, ſed quē ipſum per ſe tenet & qui fidei conformis eſt, illi tribuimus. Faciūt huc quę Zuinglius

Dei uerbū adulterare & peruertere.

ad Germaniæ principes ſic ſcripſit: Cũ nullis mortalium nobis eſt diſſidiũ de uerbis Cœnæ, quaſi uelimus iſta immutata eſſe, ut quidã, aut prorſus ſublata, ut alij calumniantur. Cũ enim ſic ſonant, Hoc eſt corpus meum, iam ipſum ſacramentũ auguſtius eſt, q̃ ſi diceremus, Hoc ſignificat corpus meum, ut omnino nihil uelimus mutatũ eſſe. Sublata uero è medio quomodo cupiemus, quæ ne mutata quidem uolumus? Habent ergo aduerſarij noſtri uerba iſta, habemus & nos. Verba iſta illis inconcuſſa maneant, nam & nobis immota manebũt, Hoc eſt corpus meũ, quod pro uobis datur: &, Hic eſt ſanguis meus, &c. Dicunt aduerſarij hic præberi corpus Chriſti, idem et nos dicimus. Vbi ergo diſſidiũ eſt? Hic eſt: Dicunt aduerſarij, corpus Chriſti naturale & ſubſtantiale præberi, nos ſacramẽtale. Hinc pugnæ, &c.

Blaſphemi in Deum & Chriſtum. Vnde nec in Chriſtũ nec in Deum blaſphemi ſumus, ſed illũ adoramus, colimus, laudamus & celebramus. Nõ ergo hoſtes ſed amici Dei ſumus. Nec adhuc nobis uidere licuit, quibus rationibus ab ijs ſe pugnarit Lutherus, quæ Zuinglius in reſponſione ſua ad ipſius Cõfeſſionem illi ob oculos poſuit.

Damnata ſecta. Damnata ſecta ſunt uel factio, qui per fidei abnegationẽ à Chriſti benedicti ſeminis & fidelium eccleſia ſeſe ſeparant. Cum uero nos antehac non ſeparauerimus, & per dei gratiã in extremum uſq; uitæ finem, nec à Chriſto, nec ſponſa illius eccleſia ſeparaturi ſimus, Lutherus tam Dei quàm honoris ſui omniſq; iuris immemor, nos damnatam &

execra-

execrabilem ſectam uocat. Ipſe uiderit, ne iracũdiis iſtis & à Christiana religione alieniſſimis ſermonibus ſibiipſi damnationẽ acceleret, & ne ſectarum authorem uel conſortẽ ſeſe faciat, dum cum iis conuenire non uult, qui Chriſtũ & fatentur & docent.

Quàm admirabilem uero Lutherus hic quoque cum diabolis ſuis ſeſe præbet? Quàm impuris uerbis, quæ diabolis farcita tument, utitur? Sic eñi ait: Inuiſus ille diabolus in ipſis agit, & nunc & in poſterum. Sy habend (quis enim Latinis uerbis hęc exprimat?) ein yngeteüflet / überteüflet / vnnd durchteüflet leſterlich hertz vnnd lugenmaul. Blaſphemũ enim cor et os mendax habent, in quo, ſuper quod, & per quod diabolus diffuſus eſt & regnat. Multa huius generis ab omni Chriſtiana religione aliena uerba, non ſine grauibus & iuſtis cauſis præterimus. Quis uero unquam mortalium iſtiuſmodi ſermones ex ratione utentibus, non furioſis & dæmoniacis, audiuit? Nobis per Dei gratiam cum diabolo nihil negotii eſt, nec tantum de illo diſputare aut diſſerere poſſumus, quantũ ſenex ille heremita, in Vitis patrum deſcriptus, Macarius. Dei filio Domino noſtro Ieſu Chriſto gratias agimus, ꝙ in noſtris ſimul & omniũ fidelium animis regnare uult & regnat, quod deniq; ab omni ſatanica tyrãnide nos potenter aſſeruit. Diabolũ ergo nihil metuimus. Chriſto Domino noſtro confiſi contra illius multiuarios dolos & tentationes aſſiduis uigiliis & precibus contendimus. Chriſtus inquit: Princeps huius mũdi iudicatus eſt. Ioan. 12. 16.

Deus ſaxit, ne Luthero iuxta Domini uerbum eueniat: Ex abundantia cordis os loquitur, Matth. 12.

Arrogãtes ſpiritus. Superbos & arrogantes ſpiritus nos nemo unquam, præter unum Lutherum, uocauit. Fideles iudicent, quis hactenus in Dei eccleſia maxima inſolentia uſus ſit, & etiam nunc utatur. Lutherus ipſe ſe Germanorũ prophetam & apoſtolum eſſe gloriatur, qui à nemine quicquã, omnes autẽ ab ipſo didicerint. Nemo item quicquam nouit, niſi quod ex Luthero habet. Nemo quicquam fecit, Lutherus fecit omnia: & quod ab ipſo factum non eſt, infectum ſit oportet. Quod ipſe dixerit, ratum eſto, nec quiſquam illi contradixerit. Si quis ipſius more loqui noluerit, uel amplius quiddã q̃ ipſe loquitur, mox hæreticus eſt, excõmunicationis tonitru & damnationis fulmine tangitur. Multi profecto eruditione, pietate & animi manſuetudine egregij ante Lutherũ ſimul & cum ipſo fuerunt, qui linguarum ſtudia, ſcripturæ & religionis negotium (licet ſuis quoq; erroribus nõ in uniuerſum caruerint) mire prouexerunt, adeo ut luce clarius conſtet Lutherũ, niſi illi tam fideliter in hiſce laborauiſſent, multo minus effecturum fuiſſe. His tamen omnibus neglectis, ſolus omnia ſibi uendicat, imò contra plures illorum contendere, & fideliter laborãtes hoſtiliter inuadere cœpit, quo facinore multi ſimplicioris ingenij homines in doctrinæ profectu impediti magis q̃ adiuti ſunt. Vtinam uel nunc ſaltẽ rixarum & contentionũ finis eſſet. Nũc ergo, ubi nam arrogantes & inſolẽtes illi ſpiritus ſint, fideles iudicent.

cent. Interim uero Deum per Lutherũ multa & magna opera in fideliũ ſalutem & papatus euerſionẽ ædidiſſe libenter & libere fatemur, nec illi honorẽ ſuum inuidemus, ſed & nos hactenus dignum honorem illi impendimus. Cui uero fideli & modeſto homini placere poſſit, quod tanta arrogãtia modo inſolens plus impedimenti q̃ cõmodi affert, ſibi nimium arrogat, in multis etiam pertinax magis q̃ ſolidus & inſtructus eſt, quod deniq; multi illum (ut olim Franciſcum ſuum monachi) ſatis euehere nunquam poſſunt, quibus immodicis laudibus eum magis inſolentem faciunt? Moderata laus, laus iuſta & æqua eſt. Et Paulus inquit: Quis eſt Paulus? Quis autem Apollo? niſi miniſtri, per quos crediditis, & ut cuiq; Dominus dedit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Quod ſi etiam accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Item: Charitatem habete unanimes, & idem ſentientes. Ne quid fiat per contentionẽ aut per inanem gloriam, ſed per humilitatem animi, aliũ quiſq; ſe præſtantiorem exiſtimet. Ne ſua quiſq; ſpecteris, ſed unuſquiſq; quæ ſunt aliorum.

1. Cor. 3. & 4.

Phil. 2.

Contra propriã conſcientiã noſtram nihil uel in hoc uel alijs negotijs agimus. Cõtra cõnſciẽtię aũt noſtrę teſtimoniũ tũc agere & dicere cogeremur, ſi cõtradictoria & ſibi inuicẽ pugnãtia, impedita q̊q; et intricata dogmata eccleſijs ꝓponere, et doctrina fateri uellemus, q̊d animus noſter nõ credit, & quibus clariora et ſaniora dei uerbũ nos tradere iubet.

Cõtra propriam conſcientiam agere.

Solus Deus, non quiſquam hominũ, conſcientiam iudicat. Huic iudici merito & libenter omne iudicium deferimus.

Sacramentorum prophanatores. Lutherus Sacramentorum quoq; prophanatores, *paniuoros & uinibibones nos eſſe dicit. Qui bus conuitijs ſupra in ſecunda operis noſtri parte, ubi noſtræ de Cœna ſententiæ confeſſionem expo ſuimus, ita reſponſum eſt, ut eum hic uim & iniuriam nobis facere nemo nõ uidere poſſit. Præterea noſtri quoq; iam olim ad hęc reſponderunt, quem admodum in Oecolampadij ad Zuinglium in reſponſione ſua ad Lutheri Cõfeſſionem epiſtola ui dere eſt. Et Zuinglius in prima ſua reſpõſione ait: Sacramentorũ prophanatores ſunt, qui quod reue ra non habent, ipſis tribuunt, & ſacramenta, quæ non aliud q̃ ſacrę rei ſigna ſunt, ipſas res ſacras eſſe docent, qui deniq; creaturã creatori ſuo parem & æqualem faciunt. Hæc enim prophanatio & blaſphemia non in Sacramenta modo, ſed in ipſum Deum quoq; tendit, quemadmodũ ex Rom. 1. ca pite colligere licet. Interea uero grauem iniuriam ſumma mixtã uiolentia nobis infers, dum nos ex Sacramento non aliud q̃ nudũ panem ac uinũ fingere dicis. Si enim de ſola ſubſtantia uel materia lo qui uoles, an ſcilicet panis ſit quod hic editur, uel Chriſti corpus, tu tibiipſi reſpondeas iubeo. Tu enim panem non Chriſti corpus eſſe tot in locis (in libro ſcilicet ad Regem Angliæ) docuiſti, ut ea recenſere opus nõ ſit. Interim uero in pane hoc Chriſti corpus mãducari aſſeris. Tu ergo panẽ nudum

Brotfreſſer. Wynſuffer.

ac

acuinum ſolum hic eſſe pronunciauiſti, non nos. Si enim uſum reſpicias, non te latere poteſt, nos in Cœna, hoc non ut uulgari pane uti, nec talem etiā iudicare, ſed teſſeram myſticam & concordiæ ſymbolū eſſe profitemur. Sin uero ipſam rei materiam aut ſubſtantiam cōſyderaueris, tu hanc non aliud ꝙ panem eſſe docuiſti. Quod uero addis, in pane hoc Chriſti corpus manducari, ex tuo capite, non ex Deo protuliſti. Ipſe enim inquit, Hoc eſt corpus meum: Non autē, In hoc pane eſt corpus meum. Cur ergo nobis impingis, quod abs te cōmiſſum eſſe nō ignoras? Vel, cur nobis uitio uertis, ac fraudi eſſe uis, quod idem tu ipſe docere non dubitas?

Præterea, Zuinglius in ea, quam ad Germaniæ principes ſcripſit, epiſtola ſic ait: Eſto omnes creaturæ inuitent nos ad numinis contemplationem, at omnis ea inuitatio muta eſt. In ſacramētis uero uiua & loquens eſt inuitatio: loquitur enim Dominus ipſe, loquuntur & elemēta, atqꝫ idem loquuntur & ſuadent ſenſibus, quod menti ſermo & ſpiritus. Adhuc tamen hæc uiſibilia omnia nihil ſunt, niſi inuiſibilis ſanctificatio ſpiritus præcedat, &c. Item: Prædicant enim ſacramēta ſalutem à Deo datam, ſenſus huc conuertunt, & ſubinde fidem exercent, quam & proximo pollicetur, & ad fraternam charitatem trahunt, &c. Et alibi: Cum panis & uinum, quæ ipſis Domini uerbis conſecrata ſunt, ſimul fratribus diſtribuuntur, an non iam totus Chriſtus uelut ſenſibiliter (ut etiam, ſi uerba requirantur, plus dicā quàm uulgo ſolet) ſenſibus etiam

offertur? Sed quomodo? An ne corpus ipſum naturale, manibus & palato tractandum? Minime: ſed animo offertur iſtud contemplandum, ſenſui uero ſenſibile eius rei ſacramentum. Hæc ſanè & his ſimilia uerba non alicuius Sacramentorum prophanatoris, ſed Chriſtiani & orthodoxi doctoris ſunt.

Poſſemus equidem & nos (ſiquidem cauſa hæc iſtiuſmodi rixis pie abſolui poſſet) Luthero oſtendere, qui nam & ubi locorum ueri lurcones, bibones & ebrij comeſſatores ſint. Quotquot uere fideles et minime pertinaces homines eccleſias noſtras Domini Cœnam celebrare uiderunt, Chriſti gratiam & opus agnouerunt & prædicarunt. Summa enim hic ab omnibus adhibetur modeſtia, & ardens animi ſtudium. Nullæ hic intemperãtes com potationes, nulla helluonum conuiuia, ſed ſancta donorum dei fruitio, non ſine ſumma animi gratitudine & fidis inuicem pactionibus celebratur.

Ad tartara deducere. Neminem mortalium nobiſcum ad tartara abſtrahimus. Per unicam enim uitæ uiam, Chriſtum uidelicet, ad uitam ducimus. Ad hæc omnes noſtro miniſterio addictos homines à lata illa & ampla perditionis uia auocamus, & iuxta Euangelicæ doctrinæ traditionem arctam & anguſtã uiam *Animarũ latrones.* inire iubemus. Quapropter nec animarum latrones ſumus, qui uitam eripiamus animis. Vnica animarum uita fides in Chriſtum eſt: quemadmodum Paulus ex propheta docet, Iuſtus ex fide *Animarũ deuoratores.* ſua uiuit. Eam fidem iuxta gratiam diuinitus nobis conceſſam, docemus fideliter. Sed nec ani-

mas

mas ullas unquam deuorauimus,ſed eaſdem Chriſti carnem uere manducare docuimus, ut uiuificari & uitam obtinere poſſent. Sed quid diuo Auguſtino reſpondeat Lutherus, uiderit,qui nullam animæ mortem congruentius appellari poſſe ſcribit, quám figuratam locutionem non iuxta figuræ ingenium,ſed ad literam accipere. Item: Ea demum eſt miſerabilis animæ ſeruitus, ſigna pro rebus accipere, & ſupra creaturam corpoream oculũ mentis ad hauriendum æternum lumen leuare non poſſe,&c. Libro de Doctrina Chriſtiana 3. capite 5. & 9.

Hæreticæ prauitatis & falſæ ſeductoriæq́ doctrinæ crimen iam olim diluimus, unde ad hoc tranſimus, quod Lutherus nos ad mortem peccare dicit. Ad mortem uero peccant, qui ſe ſpiritui ſancto opponunt, in incredulitate pertinaciter perſeuerant, & proinde Chriſti uitam in cordibus ſuis non habent. Nihil autem huiuſmodi nos per Dei gratiam facimus. Non ergo peccamus ad mortem. Lux noſtra, uita, bonum ſummum, unicum æternumq́ ſolatium Chriſtus eſt. Quapropter licet Luthero & pertinaciæ peruerſoq́ ſenſui ipſius, quẽ tam ſcripturis ipſis q̃ fidelibus ille obtrudere conatur,nos opponamus,non tamen idcirco nos ſpiritui ſancto opponere dici poſſumus. *Ad mortẽ peccare.* *Ioan. 8.* *1. Ioan. 5.* *Matth. 12.* *Galat. 2.*

Nec pro nobis amplius,ſed cõtra nos Lutherus ſe oraturũ eſſe teſtaĩ. Cõdonet illi hoc Dñs. Quod nos attinet, illius minas nõ perinde metuimus, ut qui Lutherũ mortẽ quoq́ inimicis ſuis orãdo acce- *Nõ pro nobis, ſed contra nos orat Luth.*

lerare perſuaſi ſunt. Odij em̄ inuidiæq́ꝫ plenas preces cœlos nequaq̄ penetrare certò ſcimus. Sed hac ſua ſtultitia, imò ueſania potius, cōtentus eſſe deberet, nec per ſe impijs magis impia addere, cum dicit: Nemo Chriſtianorum pro fanaticis orare uel illorū cauſam ſuſcipere aut poteſt aut debet. In hoc enim traditi ſunt, & peccant ad mortē, ut D. Ioan. ſcribit. Lutherus enim præcipiti ſuo iudicio nimiū audax & temerarius eſt, ſed & coram ipſo Deo & toto mūdo uim nobis manifeſtam infert. Niſi fortè ad mortem peccent, qui (ut modo diximus) pertinaci Luthero & uanis ipſius ſcripturæ ſacræ interpretationibus ſeſe opponunt. Fideles autē omnes innocētiā noſtrā agnituros, & Deū ꝓ nobis fideliter oraturos eſſe ſperamus: q̊d ipſum ut unice cupimus, ita nos quoqꝫ pro omnibus, pro ipſo etiā Luthero, ſtudioſe orare uolumus, ut nimirū Deus gratiam ſuam nobis largiri, peccata remittere, in omni bono confirmare, ab omni malo abſtrahere, & dona ſua in nobis indies augere dignetur. Lutherus immodeſta illa ſua conuitiandi libidine, qua contra tot Chriſtianas eccleſias multosq́ꝫ ſanctiſs. homines (quos ille contemnit ſimul & condemnat) graſſatur, q̄ miſere & calamitoſe cauſa ſua laboret, demonſtrat: ſic nimirum ut fidelium pro ſe precibus q̄ maxime opus habeat.

Magiſtros non plebem Luth. abominatur. Et quoniam propriæ conſciētię teſtimonio conuictus hęc ſua, quibus neminē ꝓ nobis orare poſſe dicit, & horrenda & inaudita eſſe intelligit, aliquo modo illa uelare conat̄, hoc addens: De magiſtris

uel

uel doctoribus loquor: miſerã autẽ,quæ illis ſubiecta eſt,plebeculã Dñs noſter Ieſus Chriſtus ab huiuſmodi animarũ latronibus liberare dignetur,&c. Et his quidẽ haud dubie uulgi fauorẽ ambit,et nos eidẽ uulgo exoſos & inuiſos reddere conatur. Sed Lutherus paucos duntaxat duces eſſe exiſtimat,qui miſeram plebẽ pro ſuo arbitrio hinc inde circũducant,& plebem quoq; tam ſtultam & ſtolidam eſſe credit,ut à paucis ſe duci patiatur. Alibi fortaſſe locorum iſtud fit,apud nos uero longe aliter res geritur.Eccleſiæ non à paucorũ, imò ne multorũ quidem ductu & imperio pendent.Sed nec hinc inde, ſurſum & deorſum ſeſe duci & agi patiuntur, nec hanc modo,mox aliã (ut quidam ſolent) doctrinã ferunt & admittunt. Docendi quidẽ & prædicandi munus miniſtrorũ eccleſiæ eſt; de doctrina autẽ iudicandi poteſtas,iuxta Pauli ſententiã, penes ſedentes in eccleſia eſt,eaq́; libera & integra.Sic nimirum,ut miniſtri uel minimo q in eccleſia eſt (ſiquidem id poſtularit) doctrinæ ſuæ rationem reddere cogantur. Præterea uulgus eccleſiæ nõ tam ſtultus aut ſtolidus eſt,q̃ Lutherus exiſtimat: ſed ſcripturis, quas frequenter legunt,& in ſolidis fidei noſtræ argumentis ita inſtructus, ut à regia uia non adeo facile ſe abduci patiatur.Idem Lutheri quoq; librũ & miſerum & ex affectuũ intemperie profectũ eſſe, non obſcure uidet. Conuitiorũ & calumniarum rabies nõ noſtris modo ſed multis quoq; pontificijs, publicæ honeſtatis ſtudioſis,ſummopere diſplicet. Et cum uulgus noſtrã de Dñi cœna doctrinam in-

telligat, & eandem Dei uerbo & catholica fide conſtanter niti ſentiat, à doctoribus nequaquã ſeſe ſeparat, ut nec doctores ab ipſo ſe ſeparari patiuntur: adeo ut Lutherus fruſtra de uulgo & plebe noſtra doleat. Atqui facile cõijci poteſt, Lutherum hæc tam ex animo dicere, q̃ cum Zuinglij & Oecolampadij mortẽ tantos dolores ſibi peperiſſe ſcribit, ut & ipſe tantũ non expirauerit: mox tamen in ipſos, ac ſi piratæ uel ſceleratiſſimi flagitioſiſſimiq; homines fuiſſent, inuehit. Quod ſi Lutherus nos ipſum talem iudicare cuperet, ut qui nobis, uel eccleſijs ſaltem noſtris, bene uellet & curã illarum gereret, longe aliter ipſi & ſcribendũ & loquendũ erat, quàm in ultima hac ſua breui Confeſſione & alijs libris ipſius hactenus factitatũ ſit: è quibus aliud quoq; plus ſatis iniquum & hoſtile facinus huc adducere poſſemus, niſi hæc quæ hactenus narrata ſunt, nimia eſſent. His ergo nunc contenti cauſam noſtrã omnẽ Deo domino patri & protectori noſtro unico cõmendamus. Noſtrã uero & noſtrorũ innocentiam nos cõtra immania Lutheri cõuitia & atroces calumnias fortiter aſſeruiſſe ſperamus. Omne uero hoc fidelibus dijudicandũ proponimus.

De eleuatione. Prolixa enim illa, quã in fine libelli ſui de Eleuatione panis Domini Lutherus inſtituit, diſputatio nihil ad nos pertinet. Et licet nos quoq; amico & fraterno animo noſtrã de hac ſententiã proferre uellemus, Luthero hoc & ingratum & proinde fruſtraneum eſſet, cum nimirũ dicat: In hiſce liberi omnino domini, non ſerui, eſſe uolumus, qui quid-

uis, ubi

nis,ubiuis,quocunq; etiã loco & tempore pro noſtro arbitrio facere poſſimus,&c.In noſtris eccleſiis à primæ ſtatim reformationis tẽpore eleuatio prorſus ſublata eſt.Domini enim exemplo & apoſtolorum ritu contenti ſumus,qui panẽ acceperunt, porrexerunt,fregerunt & comederunt. His (inquam) & nos citra omnẽ diſputationẽ utimur: cum uideliceet Domini exemplum & certum & perfectũ eſſe ſciamus.Sed & Lutherus ante annos ab hinc retro uiginti,priuſquã hæc de Sacramento pugna oborta,nec ipſe adhuc exacerbatus animo eſſet in libro de abroganda Miſſa priuata ſic ſcripſit: Si inuenias fideles,qui ſimpliciſſimum hunc ritum imitantur aut imitari uolunt, omiſſis omnibus quæ per homines adiecta ſunt,caue tu hæreticos dixeris , niſi Chriſtum quoq; hæreticum ſimul criminari uelis. Opponent enim tibi uerbum, non Papę,non luparum, non patrum, ſed ipſius Chriſti, Hoc facite. Et tu cũ audieris , Hoc facite, aliud in illis & Chriſto factum eſſe, docere non potens , inuenieris cum Parriſienſibus uel rudiſſimus aſinus , uel inſignis blaſphemator Chriſti. Hæc omnia Lutheri uerba ſunt,quæ & nos ſecuti Chriſti exemplum firmiter retinemus, qui in cœna nulla panis eleuatione uſus eſt:ſcimus interim quod licet Lutherus de his non ita diſſeruiſſet,Chriſti tamen & apoſtolorum exemplum iuſtum & perfectum eſſet, quod unice ſequi nec ullum aliud loco ipſius admittere fideles debeant.

Qualis in rebus indifferentibus libertas ſeruanda ſit. Simul autem & hoc fatemur, liberam de his in eccleſia poteſtatem eſſe debere, quæ Deus nec præcepit nec prohibuit: Hoc autem prætextu nihil Dei uerbo uel inconueniens uel contrarium uel recipi uel ſeruari uel uelari uolumus. Nec etiam pios & ſanctos eccleſiarum ritus in cuiuſuis miniſtri priuato arbitrio ſitos eſſe docemus, ut his ceu arithmeticis calculis utatur, qui uel primo loco poni & ingentem numerũ ſignificare, uel infimo minorem, uel omnino ſublati nullũ prorſus referre poſſunt. Et hic quidem in eccleſijs non iuxta paucorũ hominum affectus, ſed unanimi, matura & ſana deliberatione ad eccleſiarũ ędificationem, non interitum, *1.Cor.10.* iuxta charitatem Dei & proximi ab omnibus eccleſiæ ſenioribus de huiuſmodi rebus conſultari debet: qui mos in noſtris eccleſijs hactenus obſeruatus etiam nunc obſeruari ſolet. Et quicquid hac ratione in eccleſijs agitur, iuſte & commode fit, iuxta ueteris eccleſiæ exẽpla innumera. Vt uero quis ſolus in mẽdium progreſſus ſibi omnem poteſtatem arroget, & non ſine iactantia hoc ſe omnino obtinere, illud uero abolere uelle contendat, nullis uel rationibus uel exemplis probari poteſt, niſi paucorum quorundam arrogantium & pertinaciſſimorum hominum, qui iſtiuſmodi factis eccleſiarũ incolumitatem impediuerunt magis quàm prouexerint. Dominus noſter Ieſus Chriſtus diuinã ſuam gratiam eccleſiæ ſuæ largiatur, et illam in æternum conſeruet, Amen.

EPI

EPILOGVS.

ET HACTENVS quidem fidem noſtram confeſſi ſumus, & famam atq; honorē noſtrum, imò eccleſiarum potius, quibus ſeruimus, integritatem & innocentiam, noſtrum quoq; munus & doctrinam, multorum deniq; uere fidelium, defunctorum ſimul & uiuentium, gloriam nomenq; aduerſus uanas Lutheri condemnationes & offendiculi plena conuitia aſſeruimus & tutati ſumus: idq; ſine omni (ut ſperamus) immodeſtia. Nec enim conuitia conuitijs, nec ſcommata ſcommatibus compenſare uoluimus: interim tamen ipſius conuitia non prorſus inexpenſa reliquimus. Sicubi uero & nos uel nimij uel immodeſtiores fuerimus, Dominum ut hoc nobis condonet, & fideles ut noſtram infirmitatem ferre dignentur, oramus: illud nimirum conſyderantes, quod ab omnibus ijs malto libentius abſtinere malluiſſemus. Quoniam uero multiuaria illa & indeſinentia Lutheri conuitia, & immanes atroceſq; eiuſdē calumniæ tanta & tam intolerabili in nos & noſtros immodeſtia ſtringerentur, quibus deniq; uel honeſtatis uel utilitatis rationibus moti amplius ſilere potuiſſemus? Præterea aliter iudicare non poſſumus, quàm quod offendiculū, quod ex Lutheri ſcriptis exortum eſt, noſtro ſilentio magis atq; magis confirmari potuiſſet: quod nunc ſolida hac & Chriſtiana fidei noſtræ Confeſſione & modeſta reſpōſione nonnihil imminutum, imò apud multos magna ex parte ſublatū eſſe, Deo & ueritate cōfiſi, ſperamus. Hanc ergo reſponſionem noſtram, ut quam extrema nobis neceſſitas extorſit, iuſtis de cauſis non prauis affectibus aut uindictæ cupiditate moti ædidimus. Quamuis uero Lutheri dicta & argumenta exceperimus ſimul & confutauerimus, nul

lo tamen priuato erga Lutherum uel odio uel inuidia labora mus:optime enim illi uolumus,& Dominum pro illo oramus, ut humilitatem & eum ſpiritum illi largiri dignetur quo ſeipſum agnoſcere poſsit. Quod ſi inſtitutum ſuum contumaciter perſequi,& nec nos,nec ſcripta noſtra uel auditu uel uiſu (ut ipſe inquit) dignari uult,omnino illud nobis ferendum eſt, & omne hoc Deo & fideli eccleſiæ cõmendamus. Nos certe Confeſsionem & reſponſionem hanc noſtram nequaquam propter illum,quod nimirum ipſi inſultare uel eundẽ prouocare et irritare liberet,ſed propter alios,qui in eccleſia ſunt,fideles ſcripſimus,ut ijs ſcilicet ad offendicula cauenda & ueritatẽ promouendã uere & ſimpliciter cauſam hãc omnẽ exponeremus. Sin uero Cõfeſsionem & reſponſionem noſtram admittere & legere,deinde & nos amice ſimul & ſcripturarũ authoritate magisq; firmis (quàm hactenus ſolitus ſit uti) rationibus erroris admonere dignatus fuerit,hoc illius ſtudium non ſine magna animorum gratitudine æqui boniq; conſulemus, & diuinæ ueritati ubiq; & ſemper locũ dabimus. Rurſus, ſi nos iam ante per libros ſuos,tam nunc quàm olim æditos,abunde ſatis inſtitutos & edoctos eſſe,nos uero omnem inſtitutionem reijcere dixerit,& proinde nouis cõdemnationibus,conuitijs & calumnijs (ut ſolet) contra nos debacchari cœperit,uel ſi qui diſcipulorum ipſius conuitiandi licentiam ipſius exemplo ſecuti nos maledictis ſimul & uanis ſcriptis obruere conentur:iam nunc Deo iuſtiſsimo iudici cauſam hanc omnem cõmendare & fidelis eccleſiæ iudicio committere uolumus,bona nimirum & infallibili ſpe animati,Deum nos nunquam deſerturũ ſed fortiſsime aſſerturũ eſſe:quin quotquot ſunt pertinacis ingenij capita in ueritatis ſcopulum impingendo confringentur. Adhæc uere fideles & ſimplicitatis ſtudioſos homines ex hac fidei &

doctrinæ

doctrinæ noſtræ Confeſsione ita inſtitutos iam eſſe ſperamus, ut citra reſponſionem aliquã inter ueritatem et mendacium, inter iuſtam correptionem ac confutationem ſolidam & intemperantẽ conuitiandi malignamq́; ſingula peruertẽdi libidinẽ, non obſcure diſcernere poſsint. Niſi enim ſacroſanctæ & Biblicæ ſcripturæ oraculis meliora edoceamur, in hac doctrina & fide, quam ex Dei uerbo hic confeſsi ſumus, diuino ſic fauente numine, perſeuerabimus & pergemus, nihil interim morati, qui nam aut quot numero homines, quàm inſolenter, calũnioſe, duriter uel molliter, maligne uel benigne nos opugnare contendãt. Cum apoſtolis enim dicimus: An iuſtũ ſit in conſpectu Dei homines potius audire, quàm Deũ, omnis mundus iudicet. Nõ poſſumus enim non fateri & eloqui, quod ex illorũ ſermonibus, ſcriptis & doctrina hauſimus, qui ut ipſum Dominum uiderunt audiueruntq́;, ita totius mundi doctores conſtituti ſunt. Et hi quidẽ apoſtoli & prophetæ ſunt, qui perfectã & abſolutam Dei uiam nobis tradiderunt. **Act. 4.**

Qui labenti papatui ſubuenire cupiunt, non eſt quod ob hanc contentionem noſtram gaudeant. Dominus ad eccleſiæ ſalutem & commodum omnia dirigit, & miniſtrorũ diſſenſio nonnunquam eccleſiæ augmento & profectui ſeruit, quemadmodum in Pauli & Barnabæ exẽplo uidere licet. Quamuis enim in ueteri quoq; eccleſia miniſtri nonnunquã non per omnia conuenirent, nullũ tamen inde ad Chriſtianæ fidei aduerſarios commodum, nec aliquod ad fidẽ Chriſtianam damnũ redibat. Scimus præterea non ideo ab omnibus fideliũ eccleſijs nos & noſtras eccleſias damnari, quia Lutherus nos tam hoſtiliter damnat & reijcit. Licet nonnulli contentioſi nimis & rixarũ ſtudioſiores ſint, plures tamen pacis amantes ſunt, qui cum amice ſe inuicem reſpiciant, optime quoq; conuenire **Act. 15.**

inuicem poſſunt. Simul uero & hoc teſtatum uolumus, nos à nemine prorſus ſcindi uel diuidi. Cũ omnibus enim illis nobis bene cõuenit, imò omnes eos pro dilectis noſtris fratribus agnoſcimus, qui in ſubſtantia & primarijs huius Confeſsionis noſtræ articulis nobiſcum conueniunt. Deo itaq; & fidelium charitate & modeſtia confiſi ſperamus ipſos amarulentis illis Lutheri ſcriptis nequaquam exacerbari poſſe: quin potius in Confeſsione hac nobiſcum concordes & unanimes fore, quemadmodum & nos cũ ipſis concordes ſumus, ut & Deus nobiſcũ & nos cum illo conuenire poſsimus. Regnantibus Maximiano & Diocletiano Impp. eccleſiæ non uſq; adeo fœliciter ceſsit, quod diſcordijs inteſtinis ſcinderetur, & miniſtri ipſius fraternæ charitatis obliti hoſtilibus animis in ſe mutuo pugnarent. Dominus enim ſuum in illos exercuit iudicium, & tam miniſtros q̃ eccleſiam in infidelium & perſecutorũ manus tradidit: quemadmodũ Euſebius lib. Eccles. hiſt. 8. cap. 1. manifeſte & euidenter deſcribit. Quid uero ſi & hodie iudiciũ ſuum in eccleſia Dominus proferens ipſam perſecutionis gladio purgaret & igne afflictionis examinaret? Vel nũ adhuc uidere non poſſumus quorſum multorũ pſeudochriſtianorũ tendant conſilia? Vel nũ adeo ſtupidi ſumus, ut quantũ uictoriarum & ſucceſſuũ Aſſyrio & Babylonio tyranno Deus largiatur, nolimus intelligere? Noſtra diſcordia, noſtra uita impœnitens, noſtra deniq; perfidia ſummũ & maximũ illius robur eſt. Noſtrũ quoq; fortiſsimũ robur, ſumma noſtra contra hoſtes fœlicitas, uera cõcordia, fides, charitas & impiæ uitæ emendatio eſſet. Concordia quæ in Deo eſt, acceptiſsimum Deo opus eſt. Quod ſi de uerbis duntaxat et loquẽdi formulis pugnatur, ſic tamẽ ut doctrinæ ſubſtãtia illæſa & inuiolata permaneat, nos certe cũ nemine mortaliũ hoſtilius pugnabimus: cum uidelicet

ueteris quoq; eccleſiæ miniſtri alijs atq; alijs loquēdi formulis uſi ſint, à ueris tamen & primarijs fidei articulis nunq̃ defecerit, nec quicq̃ illis cōtrariū ſub horū prætextu uel uelarint uel docuerint. Interim uero omnes eccleſiarū miniſtros, ut ſimplicitatis & perſpicuitatis ſtudioſi ſint, etiam atque etiam hortamur, ne uulgus obſcuriori doctrina (ut ante ex Auguſtino annotatū eſt) implicitus, errorū, diſcordiarū, contentionū & prauarū opinionum occaſionem inuenire poſsit. Leuius in eccleſia de Sacramentis diſſerere, & iiſdem nimium tribuere, utrunq; uitioſum eſt & erroneum. Adhæc quæ Deus inſtituit, iuſta, recta, perfecta & ab omni parte abſoluta ſunt: quapropter noſtris medelis & correctionibus opus non habent. Arca 2.Sam.6. fœderis nomen Dei Zabaoth gerebat: cum uero nutans caſum minaretur Oza illam ſuſtinere uolens ſubitanea morte concidit. Bethſemitæ etiā arcā longe aliter, quàm Dominus in 1.Sam.6. ſtituerat, tractantes Dei iudicium pœnasq; ſenſerunt. Iſraelitæ contra Philiſtæorum uires arcam educi uolebant, & eidem nimium tribuebant: unde arca ab incircunciſis capta & inſigni clade illorum ſuperſtitio punita eſt. Quapropter Paulus apoſtolus omnes & ſingulos eccleſiarum miniſtros non immerito in hunc modum admonere uoluit: Stude teipſum probatum exhibere Deo, operarium non erubeſcendum, 2.Tim.2. recte ſecantem ſermonem ueritatis. Cæterum prophanas uocum inanitates prætermittito, ad maiorem enim proficient im 1.Tim.5. pietatem: & ſermo illorum ut cancer morbus paſtionem habet. Dominus Deus omnibus eccleſiæ miniſtris gratiam ſuam largiri dignetur, ut ueritatis ſermonem recte ſecare & tractare norint, ut omnes fideles tuta pace frui & in recta ueritatis ſemita perſiſtere poſsint.

INTERPRES CHRISTIA-
no Lectori S.

QVANTVM laboris, ſtudij, diligentiæ & eruditionis integra & ab omni parte perfecta libri huius è uulgari in Latinam linguam translatio requirat, facile iudicabunt, quotquot Germanicum legerint. Eò grauius ergo periculum ſubeundũ fuit, quod ut eruditionis minimum mihi ineſt, ita plus ſatis inqua temporis anguſtia omnem quoq; ſtudij, diligentiæ & maturæ conſyderationis facultatem ademit. Cum enim inſtantibus iam Frankfordianis nundinis Germanicus liber prælo commiſſus eſſet, nos quoq; è chalcographorum manibus tantummodo humida adhuc & officinam redolentia folia ſuſcipientes ea inter ſummã feſtinationem Latino ſermone utcunq; loqui docuimus. Nam et noſtra quoq; confeſtim excudi cœpta uorax præli os ſubinde poſtulabat. Acceſſit his aliud malum longe grauius. Ineptæ nimirum, imò nouæ & inauditæ nobis hactenus, quibus Lutherus uti ſolet, loquendi formulæ: quas ita exprimere oportebat, ut Latinus lector Lutheri ſenſum percipere, Lutherus uero nihil calumniari poſſet. Senſui (quantum opinor) nihil deeſt. Num autem Luthero ſatisfactum ſit, pronuntiare non poſſum. Sed ipſius uerba ad marginem nonnunquam appoſuimus, ſemel etiam in ipſum orationis contextum inſeruimus, ne nos doli mali alicubi accuſaret. Sicubi ergo peregrinę dialecti ſenſum minus percepimus, quod ſuum eſt habet, & ex hoc Lector quoq; Lutherani idiomatis me peritior, ſenſum facilius deprehẽdet. In noſtris, quamuis elaborandi ſtudium omne feſtinandi neceſsitas impediuit, ſenſui non multum deeſſe exiſtimo. Licet enim ſermonis elegantiam teneræ aures requirere poſſint, fidem tamen noſtram Chriſtianæ ſimplicitatis ſtudioſus neutiquam deſyderabit. Tu his noſtris benigne fruere Lector, & Deum ora, ut à contentionum & pertinaciæ ſcandalo eccleſiam ſuam tandem liberare dignetur. Vale VIII. Idus Martij, 1545.